AUTHOR:

DENEKEN, FRIEDRICH

TITLE:

DE THEOXENIIS

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1881

Master Negative #

92-81044-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885 Z8 v.4 Deneken, Friedrich 1857- Dissertation
De theoxeniis
Berlin 1881

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-15-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE THEOXENIIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICA GVILELMA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXI

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FRIDERICVS DENEKEN
SLESVICO-HOLSATVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

PAVLVS WETZEL DR. PHIL.
IOANNES VOLLERT CAND. PHIL.
RICARDVS KLETTE CAND. PHIL.

BEROLINI
MDCCCLXXXI
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV · TYPOGR · BONNENSIS

ERNESTO CVRTIVS

Cap. I.

De Theoxeniis Dioscurorum.

A. u. c. CCCLV Romani libris Sibyllinis inspectis primum lectisternia fecerunt (Liv. V, 13, 6) eademque solemnia posthac saepius celebrabant et pro piaculis quotiens prodigiis sollicitabantur et tamquam festa anniversaria et privatim quasi sacrum domesticum. Lectisternii caerimonia haec fuisse traditur: ad lectum tapetibus pulvinisque exornatum mensam apponebant cibis instructam, tum in lecto collocabant aut fasciculum coronamve ex verbenis factam ('stroppum'; cf. Festum p. 313; 346) aut dei 'caput', quod fuisse videtur persona cerea, cui vestimenta adfixa erant [1]).

Hunc ritum non ex ingenio Romanorum sed ex religione Graeca ortum esse iam dudum intellexerunt viri docti. E quibus Henricus Klausen (*Aeneas und die Penaten* I, p. 212 sqq. 258 sq.) lectisterniorum originem ex cultu Apollinis repetendam esse ostendit atque ulterius progressus Ludovicus Preller (*röm. mythol.* p. 134; p. 269) monuit ea lectisternia, quae librorum iussu essent instituta, cum Theoxeniis Apollinis Delphicis aptissime conferri posse [2]). Sed ex tempore, quo illi

---

1) Liv. XL, 59, 7; cf. Festum p. 364: 'tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviae deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur'. Preller l. c. p. 133. Bötticher *baumkultus* p. 223. — Exstant duae lucernae fictiles, quae lectisternia Romana exhibent: Montfaucon *ant. expl.* V, 2, tab. 169 et Bartoli luc. II, 34.

2) Quodsi v. d. existimat etiam priscos Italos deis lectos sternere et mensas ponere consuevisse, mihi quidem testimonia, quibus nititur, ad persuadendum parum idonea esse videntur.

vv. dd. scripserunt, et artis Graecae aliquot monumenta et nonnulli tituli lucem viderunt, unde apparet Graecos quoque inde a quinto saeculo a. Chr. n. complures deos lectisterniis coluisse; neque prorsus desunt scriptores, qui idem testantur. Quare cavendum videtur, ne putemus Romanos ex Theoxeniis Apollinis solum lectisterniorum notitiam petiisse.

Attamen summo iure Prellerum de illo festo Delphico monuisse mox videbimus.

Habebant enim Graeci quaedam sacra, quae communi nomine ξένια appellare licet. Modus sacrificandi in universum is erat, ut variis cibis in mensa sacra collocatis aliquis deus aut heros precibus ad epulandum invitaretur. Ad mensam non raro aut simulacrum aut symbolum dei [1]) apponebatur aut non aliter atque homini epulanti lectus tapetibus et pulvinis exornabatur [2]). Ac veri simile est in lectis simulacra vel symbola deorum posita esse; certe eo modo Athenienses Aiacem [3]), Rhodii Harmodium et Aristogitonem [4]) coluerunt. Vides igitur, quomodo lectisternia, quae Romano nomine vocantur, inter 'xenia' numeranda sint.

Distinguenda sunt xenia privata a publicis xeniis. Illa celebrata sunt a singulis hominibus vel a familiis sive ut deis

---

1) Hoc modo e. g. Chaeroneenses sceptrum Agamemnonis adorabant; cf. Paus. IX, 40, 11 sq.: τοῦτο οὖν τὸ σκῆπτρον σέβουσι, δόρυ ὀνομάζοντες. — — — Ναὸς δὲ οὐκ ἔστιν αὐτῷ δημοσίᾳ πεποιημένος, ἀλλὰ κατὰ ἔτος ἕκαστον ὁ ἱερώμενος ἐν οἰκήματι ἔχει τὸ σκῆπτρον· καὶ οἱ θυσίαι ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν θύονται καὶ τράπεζα παράκειται παντοδαπῶν κρεῶν καὶ πεμμάτων πλήρης.

2) Haud dubie lecti, quos in compluribus templis se vidisse Pausanias narrat, lectisterniorum causa adfuerunt. Paus. II, 17, 2; V, 20, 1; VIII, 47, 2; X, 32, 8. Cf. etiam Hes. v. πλακίς. Meier *Hall. encycl.* sect. III, 10, p. 289. Plura congessit Bötticher *tektonik* II, p. 554 sqq.

3) Cf. schol. Pind. Nem. II, 19: διὰ τιμῆς ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τὸν Αἴαντα ὡς — — καὶ κλίνην αὐτῷ μετὰ πανοπλίας κατακοσμεῖν. Qua cum πανοπλίᾳ comparari possunt 'exuviae deorum', quibus Romani utebantur.

4) Val. Max. II, 10, extr. 1: 'Rhodii eas (sc. effigies aeneas Harmodii et Aristogitonis) urbi suae adpulsas cum in hospitium publice invitassent, sacris etiam in pulvinaribus conlocaverunt'.

gratias referrent sive ut vota solverent sive alia quavis de causa. Inde orta sunt festa publica et anniversaria Ξένια vel Θεοξένια appellata. Mos erat in his festis hominibus bene meritis certas partes sacrae dapis addicere, ac tanta erant hospitalitate Theoxenia Spartanorum et Pariorum ut universo populo epulae instituerentur [1]).

Ut omnino qualis fuerit cultus domesticus Graecorum parum constat, ita xenia privatim quoque sacrificata esse paucis testimoniis affirmatur; e quibus, quia cetera infra in disputando occurrent, unum nunc afferre libet. In Ione enim Euripidis (v. 805 cl. v. 1130) Xuthus, quod filium recuperasse opinatur, 'ξένια καὶ γενέθλια' sacrificat 'γενέταις θεοῖσιν' [2]). Aliquotiens xenia heroum deorumque inveniuntur coniuncta cum festis ac sacris aliorum numinum. E. g. Argivi, quotiens sacrificia faciebant, Apollinem et Homerum invitabant; Ael. v. h. IX, 15: Ἀργεῖοι — — ποιοῦντες θυσίαν ἐπὶ ξένια (ξενίᾳ codd.) ἐκάλουν τὸν Ἀπόλλωνα καὶ Ὅμηρον. Phliasii, cum quoddam Cereris festum celebrabant, eodem modo Aranti eiusque liberis sacrificare solebant (Paus. II, 12, 5) [3]). Athenienses denique Harmodium et Aristogitonem, cum sacra faciebant, κρατήρων κοινωνούς habebant (Dem. XIX, 280).

Notissimum autem est festum Delphicum Ξένια appellatum. De quo cf. Pindari scholiastam ad Nem. VII, 68: γίνεται ἐν Δελφοῖς ἥρωσι Ξένια, ἐν οἷς δοκεῖ ὁ θεὸς ἐπὶ ξένια καλεῖν τοὺς ἥρωας. Hic igitur deus invitat, non homines. Sed eandem commutationem, quae in his festis facillime oriri potuit, infra identidem inveniemus. Non multum differt illud festum, quod Plataeenses eis, qui pro patria

---

1) Eundem hospitalitatis habitum etiam lectisternia Romana prae se ferunt; cf. Liv. V, 13, 5: 'tota urbe patentibus ianuis promiscoque usu rerum omnium in propatulo posito notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt et cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos'.

2) Utrum hi γενέται θεοί dei patrii aut Tritopatores fuerint, pro certo diiudicare non audeam.

3) De Cypselo Heraclidas ἐπὶ ξένια invitante cf. Polyaen. I, 7.

mortem occubuerant, quotannis celebrabant. Hostia mactata archon mortuos ad epulum vocabat ac vino libato eis propinabat (Plut. Ar. 21).

Sicuti haec sacra maximam partem heroibus oblata sunt, ita lectisternia quoque non tam ad cultum superum deorum pertinuerunt, quam ad cultum heroum eorumque deorum, qui natura sua proxime absunt ab heroibus. Etenim praeter illud lectisternium, quod Athenienses Ol. CXXII Iovi Salvatori Buphoniis fecerunt [1]), ex deis tantum Plutonem [2]) Bacchum (v. p. 38 sqq.) Aesculapium (v. p. 35 sq.) lectisterniis celebratos esse traditur.

Inter omnia numina autem vel saepissime Dioscuri xeniis et Theoxeniis honorabantur. Cuius rei cum satis multa et luculenta testimonia praesto sint, ab horum deorum cultu disputatio nobis ordienda est.

Ut par est, Dioscurorum xenia et Theoxenia vel maxime in Peloponneso Dorumque civitatibus pervagata erant; sed etiam Athenis in Thessalia alibi vigebant. Ac primum recorderis, quaeso, ‘prandium’ illud, quod Athenienses in Prytaneo Dioscuris apposuisse scriptor comoediae ‘Πτωχοί’ memorabat; Athen. IV, 137 e: ὁ δὲ τοὺς εἰς Χιωνίδην ἀναφερομένους Πτωχοὺς ποιήσας τοὺς Ἀθηναίους φησὶν, ὅταν τοῖς Διοσκούροις ἐν πρυτανείῳ ἄριστον προτιθῶνται, ἐπὶ τῶν τραπεζῶν τιθέναι τυρὸν καὶ φυστὴν δρυπεπεῖς τ' ἐλάας καὶ πράσα ὑπόμνησιν ποιουμένους τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς. Quia complurium mensarum mentio fit, elucet Athenienses utrique Dioscuro mensam cibis exornasse. Cum hoc sacrificio comparari potest quidam Cretensium mos; illis enim in aedificio, ubi cenae communes fiebant, erat ξενία τράπεζα Διὸς ξενίου (Pyrgion ap. Ath. IV, p. 143 sq.) neque aliter fieri potest, quin, quotiens epulabant, in hac mensa Iovi cibos

---

1) C. I. A. II, 1, 305. Cf. Köhlerum Herm. VI, p. 107 sq. De lectisterniis Iovis Diodorus Sinopeus cogitaverit necesse est, cum scripsit parasiti orationem, quam legimus apud Athen. VI, 239 b. Meineke F. C. G. III, p. 543 sq. Verba exscripsi infra p. 25.

2) Cf. duos titulos Athenienses quarti saeculi exeuntis, quos Köhler edidit l. c. p. 106 sq.

sacrificarent (cf. Hoeckium Creta III, p. 127 sq.). Atque fortasse Athenienses quoque simili modo, cum in Prytaneo solemniores epulas instituebant, Dioscuros ut deos hospitales adorabant; attamen id quoque suspicari licet illam caerimoniam cum aliquo festo Dioscurorum velut cum Anaceis coniunctam fuisse.

Dubium est, num in Prytaneo praeter mensam etiam lectus exornaretur. Pro certo tamen statuerim Dioscuros Athenis alicubi lectisterniis cultos esse. Nam huius caerimoniae imaginem ostendit lecythus quaedam Attica abhinc quindecim annos e tumulo Camirensi effossa. Nunc adservatur in museo Britannico [1]). Alba vasculi superficies ornata est figuris eodem artificio pictis, quod in lecythis Atticis IV. saec. saepius observatur usurpatum: subtili penicillo aut calamo quodam figurarum lineamenta illita sunt; aliquot tantum imaginis particulae nigro aut rubro colore expletae sunt [2]). Inter duos margines, superiorem Maeandro, inferiorem crassis lineis formatum, videmus lectum, qui palmaribus linearibusque ornamentis ac bestiolis quibusdam ita est exornatus, ut pictorem emblemata aerea vel cornea voluisse fingere conicias. Stratus est lectus tapetibus rubris — στρώμασι πορφυροβάπτοις (Meineke F. C. G. II, p. 686) — quibus superimpositi sunt dextra laevaque duo pulvini item rubri; iacet insuper in stratis flabellum (cf. Conzii *vorlegebll.* ser. VIII, tab. 8, 1). Supra lectum Dioscuri in nigris equis sedentes dextrorsum vehuntur. Chlamydes fluitantes et chiton alterius rubro colore distincta sunt. In vacuo quod est inter postes lecti spatio artifex deliciarum suarum nomen notavit: καλὴ Μιυα (pro Μυῖα). — Manifestum est huius imaginis pictorem eam, quam pinxit, caerimoniam in patria sua vidisse, sed ubinam Athenienses id lectisternium fecerint evinci non potest.

---

1) Newton *Transactions of the Roy. soc. of litt.* ser. II vol. IX (1860), p. 436. Fröhner *deux peintures de vases Grecs*, cum tab. Heydemann *arch. ztg.* 1872, p. 35 sq.

2) In universum de hac vasculorum classe nuper disseruit Furtwängler *arch. ztg.* 1880, p. 135 sq.

Ad illius picturae similitudinem prope accedit anaglyphum marmoreum Larissae in urbe Thessaliae ab Heuzeio repertum nunc Parisiis servatum [1]). Imago ab utraque parte terminatur pila. Supra impositum est epistylium cum fastigio, in quo Sol radiis coronatus quadrigam regens obviam vehitur adspicienti, ita tamen, ut capita tantum ac pectora dei equorumque conspicua sint. Ipsius imaginis argumentum hoc est. Ante lectum stragulis et duobus pulvinis instructum mensa est collocata, in qua variae placentae positae sunt. Ante mensam ara. In quam vir — ut videtur imberbis — a dextra stans chitone et himatione vestitus libationem facit. Eum sequitur mulier chitone amploque amictu induta. Dextram tollit Dioscuros adorans, qui super lectum in aëre pendentes prorsus eodem habitu expressi sunt atque in lecytho Attica. Infra eos femina longa tunica induta expansis alis fertur, dextra porrecta manu coronam tenens, quam in altero pulvino depositura esse videtur. Sub imagine insculptus est titulus:

Θεοῖς μεγάλοις Δανᾶ Ἀτθονειτεί[α

ut Blass (Satura philol. H. Saupp. obl. p. 119 sq.) fortasse recte verbum extremum legit hanc formam pro Ἀφθονειτεία positam esse ratus [2]).

Non opus est longius exponere, Dioscuros cum Victoria hic esse repraesentatos [3]) per aërem advectos atque in lectum se demissuros, ut fruantur dapibus et sacrificio, quae homines adstantes maximeque Danae paraverunt. Danae igitur, quam habitu adorantis exsculptam esse vides, tabulam posuit, ut monumentum esset eius rei divinae, quam artificem

1) Newton *Transact. of the Roy. soc. of litt.* l. c. Heuzey *rev. arch.* 1862, II, p. 324. Fröhner *inscrr. du Louvre*, nr. 16. Idem *deux peintures de vases Grecs*, cum tab. Heydemann *arch. ztg.* 1872, p. 35. Heuzey *mission arch. de Macédoine*, p. 419 sqq. tab. XXV, 1. Conze *vorlegebll.* ser. IV, tab. 9, 2.

2) De Dioscurorum cognomine μεγάλοι θεοί conferas Prellerum *gr. mythol.* II, p. 107 not. 4.

3) Cf. vasculi imaginem, quam delineavit Tischbein in *collection of engravings*, IV, tab. 15, = Inghirami *v. f.* II, tab. 187. Hirt *bilderb.* p. 196. Mire fallitur Collignon *vas. peints d'Athènes*, n. 516.

elaborare iussit. Iuvenem, qui in aram libat, suspiceris filium Danaes esse. Nam cum hoc sit cultus privati monumentum, sacerdos publicus nullum locum habet, neque coniugem mulieris hic deprehendere quisquam sibi videbitur, quoniam titulus Danaes tantum mentionem facit. At quid sibi vult illa Victoria coronam manu gestans? Nihil facilius intellectu. Lege, quaeso, historiolam, quam de Iasone tyranno Pherarum urbis Thessalicae Polyaenus (strateg. VI, 1, 3) narrat: Ἰάσων πόλεμον νικήσας ἔφη πρὸς τὴν μητέρα, τοὺς Διοσκούρους φανερωτάτους αὐτῷ γενέσθαι συμμάχους, καὶ διὰ τοῦτο εὔξασθαι νικήσας ξενίσαι τοὺς θεούς· κεκληκέναι δὲ ἐπὶ τὴν εὐχὴν τοὺς ἡγεμόνας τοῦ στρατεύματος καὶ λοχαγοὺς καὶ ταξιάρχους καὶ τοὺς ἐν τέλει πάντας. Ἡ δὲ πιστεύσασα ὅσον εἶχε κόσμον ἐκπωμάτων, κρατήρων, τραπεζῶν, ἀργύρου, χρυσοῦ πάντα ἔπεμψεν· ὁ δὲ πολλῶν χρημάτων κύριος γενόμενος, τὸν μισθὸν ἀπέδωκε τοῖς μισθοφόροις. En commentarius luculentissimus anaglyphi nostri neque minus xeniorum, qualia apud Thessalos fuerint. Eoque magis hoc valet testimonium, quoniam anaglyphum Iasonis fere temporibus positum esse verisimile fit ex literarum forma atque ex artificio operis.

Sed ad propositum revertor. Iason dixit, Dioscuris manifeste adiuvantibus victoriam sese reportasse [1]), eaque de causa xenia eis vovisse. Vides igitur haec xenia tamquam ἐπινίκια ab Iasone esse instituta. Iam non explicatione caret illa Victoriae figura. Ita enim res se habuerit necesse est: Danae ob aliquam victoriam (fortasse filii) Dioscuris lectisternium celebravit atque una cum lectisternii caerimonia ipsam quoque victoriam in marmore exsculpendam curavit [2]).

1) Pervagata erat apud veteres opinio cum alios deos et heroes tum maxime Dioscuros in pugnis interdum praesentes adesse; cf. Polyaen. strat. I, 41, 1. Plut. Lys. 12. Cic. de div. I, 34, 75. de nat. deor. II, 2, 6; III, 5, 13. v. Prellerum *röm. myth.* p. 658 sqq. Memineris Apollinem et Neoptolemum Delphis, Echetlum et Panem in pugna Marathonia adiutores se praestitisse, ne de Aiace loquar, cui Locri vacuum in acie spatium relinquebant.

2) Lectus coronis et palmis exornatus, cui adpositum est vas

Simili modo ad rem militarem atque ad victoriam reportandam spectat lectisternium illud, quod Locri ante pugnam ad Sagram commissam Dioscuris paraverunt. Cf. Diodorum Sic. VIII, 32. Legati enim cum Spartam venissent, ut auxilium peterent, copiarum loco Tyndaridas adiutores acceperunt; οἱ δὲ πρέσβεις, ut pergit Diodorus, προσεδέξαντο τὴν βοήθειαν παρ' αὐτῶν καὶ καλλιερήσαντες ἔστρωσαν τοῖς Διοσκούροις κλίνην ἐπὶ τῆς νηὸς καὶ ἀπέπλευσαν ἐπὶ τὴν πατρίδα. Non opus est demonstrare hanc narratiunculam ei demum aetati adscribendam esse, qua vixerit auctor, quem Diodorus hoc loco sequatur i. e. tertio fere saeculo a. Chr. n.

Primus omnium autem Bacchylides lectisternia Dioscurorum testari videtur. Nam duo huius poetae versus exstant (fr. 28. ap. Ath. VI, 400 b), quos Athenaeus hoc modo inducit: Βακχυλίδης ποιούμενος τὸν λόγον πρὸς τοὺς Διοσκόρους, καλῶν αὐτοὺς ἐπὶ ξένια. Secuntur verba poetae:

Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ', οὔτε χρυσός, οὔτε πορφύρεοι
τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής
Μοῦσά τε γλυκεῖα καὶ Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος ἡδύς'.

Videlicet enim poetam in priore versu de hostiis vasibus aureis purpureis tapetibus itaque de toto lectisternii apparatu verba facere. Quo apparatu carens nec lectos sternit nec mensas exornat sed ipse bibens Dioscuros quoque ad bibendum invitat.

Ex eis, quae adhuc disputavimus, dilucide apparet xenia et lectisternia Dioscurorum apud Graecos late patuisse. Iam igitur pertractanda erunt illorum deorum Θεοξένια, festa publica, quae eo modo orta esse videntur, ut xenia gentilicia in publicum cultum reciperentur. At, cum praeter Dioscuros etiam Apollinem Graeci Theoxeniis coluerint, non supervacaneum erit, pauca praefari de Apollinis festo.

Hesychius adnotat v. Θευξένια· Ἀπόλλωνος ἑορτή [1]).

---

cuique adstant duo homines, in nummis Nicomediae oppidi Maximino imperatore cusis conspicitur; Mionnet II, p. 475, n. 357; p. 476, n. 360.

1) Eiusdem Hesychii glossa v. Θεοξένια· κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς cum illa pugnare videtur. Utut res se habet, Aug. Mommsen (Delphica p. 94; 299) non debebat Orphicos hymnos ad sententiam suam fulciendam adcire. Nam illa πάνθειος τελετή, ad quam Latona invitatur (hymn. XXXVII, 7), ad Delphorum Theoxenia certe non spectat. Vt omittam in hymn. LIII Bacchum Chthonium, in h. LIV Silenum ad πάνθειον τελετὴν invitari, tota horum carminum natura non est ea, quae sacris publicis lucem adferat. Conferas R. Schoellii disputationem 'de communibus et collegiis quibusdam Graecorum' in Sat. philol. H. Sauppio obl. p. 178 sqq.

Qua glossa illud festum cum uni tantum deo attribuatur, nimis angustis finibus circumscribitur. Verum tamen Apollinis Theoxenia insigni splendore nec mediocri in Graecia claritate excelluisse vel ex pauculis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, testimoniis colligi potest.

Delphica Apollinis Theoxenia et Pellenensia commemorantur.

Delphis Latonam festi diei participem fuisse elucet ex Polemonis (ap. Ath. IX, p. 372 a) verbis: διατέτακται παρὰ Δελφοῖς τῇ θυσίᾳ τῶν Θεοξενίων, ὅς ἂν κομίσῃ γηθυλλίδα μεγίστην τῇ Λητοῖ, λαμβάνειν μοῖραν ἀπὸ τῆς τραπέζης. Ac si Latona interfuit festo, ne Diana quidem exclusa fuerit necesse est. Itaque ad horum trium numinum mensam cibos attulerunt Delphorum cives; e quibus fortasse is, qui bonum se praestabat agricolam eo quod maximam cepam adferebat, illum singularem honorem nancisci solebat, ut ei portio epularum sacrificalium adiudicaretur. At non solum hanc ob causam neque ex Delphis solis sacerdotes eligerunt homines mensae participes, sed etiam externos interdum eodem honore dignos esse habitos exemplum Pindari docet. Exstant duae apud vitae scriptorem historiolae: Ἀπόλλων γοῦν οὕτω φασὶν αὐτὸν ἐφίλει, ὡς καὶ μερίδα λαμβάνειν ἐκ τῶν θυομένων ἐκείνῳ, καὶ τὸν ἱερέα δὲ βοᾶν ἐν ταῖς θυσίαις· 'Πίνδαρος ἐπὶ τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ·' ἢ καὶ ἄλλως· 'Πίνδαρος ἴτω ἐπὶ τὸ δεῖπνον τοῦ θεοῦ'. κατὰ δὲ ἄλλους ἐν Δελφοῖς κλείειν ὁ νεωκόρος μέλλων τὸν νεὼν κηρύσσει καθ' ἡμέραν· 'Πίνδαρος ὁ μουσοποιὸς παρίτω πρὸς τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ'. Itemque posteri Pindari a deo honorabantur; cf. Plut. ser. num. vind. c. 13: ἀναμνήσθητι δὲ τῶν

ἔναχος, τῶν Θευξενίων, καὶ τῆς καλῆς ἐκείνης μερίδος, ἣν ἀφαιροῦντες, τοὺς Πινδάρου κηρύττουσι λαμβάνειν ἀπογόνους [1]).

Ut Delphis mensi, quo festum celebrabatur, Θεοξένιος erat inditum nomen [2]), ita Pellenenses ipsi Apollini Θεοξενίου cognomen dederant. Cf. Pausaniam VII, 27, 4, qui haec addit: καὶ ἀγῶνα ἐπιτελοῦσι Θεοξένια τῷ Ἀπόλλωνι, τιθέντες ἀργύριον ἆθλα τῆς νίκης, καὶ ἄνδρες ἀγωνίζονται τῶν ἐπιχωρίων. Ceterum de festo Pellenensi nihil aliud novimus, nisi quod scholiastae Pindari memorant, victores pallia pro praemiis reportasse. Quam rem si quis cum Pausaniae narratione congruentem reddere velit, inspiciat Boeckhii explicc. ad Pind. Ol. IX p. 104.

Adgrediamur ad Dioscurorum Theoxenia, quae ut paulo accuratius cognoscamus, prospera fortuna tulit. Spartae Agrigenti Cyrenis Pari hoc festo Dioscuri colebantur.

Ac primum titulum Pari in arce a Thierschio olim repertum inspiciamus [3]).

Titulus III. aut II. saec. a. Chr. n. exaratus est. Bis laudatur Κίλλος quidam Demetrii filius; in priore parte laudes corona aurea statua ei adiudicantur, quia agoranomi munere bene functus sit; quae secuntur verba ad Theoxenia spectant:

Διόσκορο[ι
Ἔ]δοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ· Εὐμένης Εὐμέ
νο]υς εἶπεν· ἐπειδὴ Κίλλος Δημητρίου ἔν τε
τοῖ]ς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν διατε
λεῖ] περὶ τὸν δῆμον, καὶ πᾶν τὸ συμφέρον πράσσων
καὶ] κοινῇ τῇ πόλει καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνουσ
ιν Κ]ίλλῳ, νῦν τε πολέμαρχος αἱρεθεὶς καὶ
τυχ]όντος αὐτῷ τοῦ ἱεράζειν τοῖς Διοσκό

1) Non fortuito, opinor, factum est, ut puero, quem Pindarus amabat, nomen fuerit Θεόξενος; cf. frg. 123 Bergk. Hes. Mil. et Suid. v. Πίνδαρος.

2) Keil syllog. inscr. Boeot p. 33, Θειλούθιον, Boeotici mensis nomen, non inepte comparat.

3) Thiersch *abh. d. K. bayr. ak.* 1834, p. 585 sqq. Rangabé *Ant. hell.* II, n. 770 c. C. I. G. II, p. 1074 sq. add. n. 2374 e. Le Bas *voy. arch.* IV, 2, p. 471 n. 2097.

ροις] ἐν τῇ θυσίᾳ τῇ γινομένῃ τοῖς Θεοξενίοις
ὅπω]ς συνεπαύξειν τοῖς θεοῖς τὴν πανή
γυρ]ιν [καὶ] πάντας μετέχειν τῶν ἱερῶν ἐπελθ[ὼν
τὸν] δῆμον ἐπαγγέλλεται δημοθοινήσειν
ἐν τ]οῖς Θεοξενίοις, δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαι
νέσ]αι Κίλλον Δημητρίου ἐπί τε τῇ [πρ]ὸς τοὺς θ[ε
οὺς] εὐσεβείᾳ καὶ τῇ πρὸς τὸν δῆμον [εὐ]νοίᾳ, τὴν
δὲ] δημοθοινίαν συντελέσαι αὐτὸν ἐν τῷ γυμνασίῳ.

Haec igitur Pariorum Theoxenia publice unoque ex archontibus administrante instituta sunt, atque hunc in modum, ut post sacrificium cuncta civitas epularetur in gymnasio. Agonis mentio non fit, ac dubito an certamina omnino non sint instituta. Videlicet hoc festum inferiore aetate vel maxime inter ea erat, in quibus divinis rebus neglectis imprimis potui ac epulis indulserunt. Certe tale quid suspicari licet cum ex hospitalitate festi tum e titulo Tenio, in quo κοινὸν θεοξενιαστῶν commemoratur (C. I. G. II, 2338, vv. 24; 114 sqq.) [1]).

Sed quid in his vergentis Graeciae vestigiis moramur? Habemus Pindari auctoritatem, qua niti magis iuvat. Scis me loqui de Olymp. carm. III., quod inscribitur Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ εἰς Θεοξένια. Singulare sane est hoc additamentum 'εἰς Θεοξένια' neque omnes codicum scriptores eius rationem recte intellexerunt (cf. Bergkium in P. L. G. I, p. 69). Verum etiam scholia in hac re explicanda non solum fluctuant, sed aperte falsa proferunt. Haec enim in scholl. vett. invenimus: θύοντος οὖν τοῦ Θήρωνος εἰς τὰ Θεοξένια, ἐν τοσούτῳ ἠγγέλθη αὐτῷ καὶ ἑτέρωθεν (sc. Olympia, ut recte schol. rec.) αὐτοῦ ἵππων νίκη καὶ εἰς τοῦτο γράφει ὁ ποιητής. Infra: οἱ δέ φασι Θεοξενίων ὄντων καὶ κεκλημένων τῶν Διοσκούρων εἰς τὰ Θεοξένια, τὸν Θήρωνα νικῆσαι; cf. etiam schol. ad v. 61. Interpres igitur, quicumque fuit, de duobus festis diebus cogitavit: altero victoriam Theronis Olympicam Agrigenti esse nuntiatam, altero hanc ipsam victoriam celebratam et aliis sacris et carmine Pindari. Quod tam inepte

1) Thiersch l. c. p. 622. Lüders *dionysische künstler*, p. 20. In Rhodo exstabat κοινὸν Διοσξειναστᾶν, Ross inscrr. gr. ined. III, n. 282.

excogitatum est, ut paene pro certo haberi possit illud εἰς Θεοξένια ab alio quodam aetate praecedenti esse adscriptum; ac nescio an eo additamenti auctoritas augeatur. Nimirum Pindarus Theroni, postquam is Olympiae vicit, carmen misit, ut in Theoxeniis a choro caneretur (v. Boeckhii explicc. ad h. l. et Dissenium sect II, p. 41 sq.).

Iam inspiciamus ipsius Pindari verba. Sicut veteres ῥαψῳδοί, cum festis diebus carmina sua canebant, primo initio itemque carmine finito paucis versibus eum deum precabantur, in cuius honorem festum celebrabatur, ita Pindarus quoque primo huius carminis versu invocat Τυνδαρίδας φιλοξείνους cum Helena sorore ac, postquam explicatius exposuit, quomodo olim Hercules ex terra Hyperboreorum oleam Olympiam apportaverit, sub finem carminis rursus ad Tyndaridas transgreditur; v. 60 sq.:

καὶ νὺν ἐς ταύταν ἑορτὰν ἵλαος ἀντιθέοισιν νίσεται (sc. Ἡρακλῆς)
σὺν βαθυζώνου διδύμνοις παισὶ Λήδας.

Adiunge v. 67 sqq.:

ἐμὲ δ' ὦν πᾳ θυμὸς ὀτρύνει φάμεν, Ἐμμενίδαις
Θήρωνί τ' ἐλθεῖν κῦδος εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν, ὅτι πλείσταισι βροτῶν
ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέζαις.

Inde discimus et Theronem et totam Emmenidarum gentem consuevisse, Dioscuros quasi penates xeniis (ξεινίαις τραπέζαις) colere [1]). Atque quod attinet ad id festum, in quo Pindari hymnus canebatur, Hercules quoque invitatus esse videtur (cf. v. 60); quae res quantopere cum Theoxeniis conveniat, non est quod explicem.

E scholiis, quamvis admodum sint verbosa, non multum edocemur. Una tamen adnotatio verbo digna est. Schol.

---

1) Boeckh l. c.: 'Et Emmenidarum haec sacra gentilicia fuisse ex vs. 41 sqq. (70 sqq.) colligere licet; utrum tamen Argis cum colonia in Rhodum indeque in Siciliam pervenerint, an ab Amyclaeis Theraeisque Dioscuris per Theram unum ex Theronis maioribus ad Emmenidas sint propagata, quae Mülleri (Orchom. p. 339) sententia est, in medio relinquam'. Cf. virum summum ad Ol. II introd. et in *abh. d. berl. ak.* 1836, p. 43 sqq. ib. p. 89. Minus recte Thiersch l. c. p. 622 et 628.

vet. ad inscr.: Θεοξενίων ἑορταὶ παρ' Ἕλλησιν οὕτως ἐπιτελοῦνται κατά τινας ὡρισμένας ἡμέρας, ὡς αὐτῶν τῶν θεῶν ἐπιδημούντων [1]) ταῖς πόλεσιν. Theoxeniorum sacra anniversaria fuisse non inepte dicit grammaticus, nam si memineris Θεοξενίου mensis Delphici, apparet festum Delphicum hoc ipso mense actum esse. Idem spondere licet de Pellenensium et de Pariorum Theoxeniis. Ac quoniam Theoxenia Agrigentina haud dubie non solum ab Emmenidis sed a tota civitate acta sunt, in hoc quoque festum adnotatio scholiastae cadit.

Praeterea extrema quae attuli verba docent apud Graecos viguisse sententiam deos in Theoxeniis praesentes adesse.

A Siculis procedamus in Peloponnesum ac Lacedaemonem. Ac primum vide an non ad Theoxenia Spartana spectent ea verba, quibus Dioscuri Helenam apud Euripidem (Hel. 1666 sqq.) adfantur:

ὅταν δὲ κάμψῃς καὶ τελευτήσῃς βίον,
θεὸς κεκλήσει καὶ Διοσκόρων μέτα
σπονδῶν μεθέξεις ξένιά τ' ἀνθρώπων πάρα
ἕξεις μεθ' ἡμῶν· Ζεὺς γὰρ ὧδε βούλεται.

verisimile enim per se est Helenam Spartae Theoxeniis fructam esse, cum idem Agrigenti usu venisse cognitum habeamus neque quisquam ignoret, quantopere floruerit apud Spartanos Helenae cultus.

Non minorem vim habet Pindari locus, Nem. X, 95 sqq.:

ἐπεί
εὐρυχόρου ταμίαι Σπάρτας ἀγώνων
μοῖραν Ἑρμᾷ καὶ σὺν Ἡρακλεῖ διέποντι θάλειαν,
μάλα μὲν ἀνδρῶν δικαίων περικαδόμενοι.

Namque hi versus alio modo intellegi nequeunt, nisi poetam de aliquo festo Dioscurorum cogitasse statuamus. Huius igitur festi Hercules et Mercurius participes erant secundum eam consuetudinem, quam in Theoxeniis viguisse intelleximus, ac penes hoc deorum collegium erat facultas 'μοίραν θάλειαν' (cf. 'καλὴν μερίδα' Pindaro Delphis addictam) inter praestantiores cives distribuendi.

---

1) Cum Prellero gr. mythol. I, p. 212 not. 1; ἐκδημούντων codd.

Subsistamus paulum in hoc Pindari carmine. Theaeum Argivum, quem poeta celebrat, ob eam causam totiens ludis vicisse indicat, quod cognati matris imprimis Gratias et Dioscuros coluerint (v. 70 sq.)[1]. Vnum ex hac gente fuisse Pamphaen, de quo vide verba praeclarissima, v. 91 sq.:

Κάστορος δ' ἐλθόντος ἐπὶ ξενίαν παρ Παμφάη
καὶ κασιγνήτου Πολυδεύκεος κτλ.

Nonne inde concludendum est hanc fabulam illi genti propriam fuisse atque Dioscurorum cultum ab illo hospitio originem trahere visum esse? Ego quidem non dubito, quin in hac gente, haud secus quam apud Emmenidas, xenia Dioscurorum floruerint.

Tales fabulae autem saepius occurrunt. Quid enim narrat Herodotus (VI, 127) de Euphorione Arcadio? — Εὐφορίωνος τοῦ δεξαμένου τε, ὡς λόγος ἐν Ἀρκαδίῃ λέγεται, τοὺς Διοσκούρους οἰκίοισι καὶ ἀπὸ τούτου ξεινοδοκέοντος πάντας ἀνθρώπους. Ex his verbis nostro iure, ut arbitror, colligemus Euphorionem in oppido Paeo (cf. Herod. l. c.) publicum πρόξενον fuisse eumque Dioscuros deos patrios habuisse[2]). Ac dixerit quis non sine veri specie vel maxime proxenorum gentes xenia Dioscurorum pro sacris gentiliciis habuisse[3]).

Pamphaen Euphorionem tertius sequitur Phormio Spartiates (Paus. III, 16, 3). Dioscuri enim ad eum tamquam Cyrenis advecti venerunt et postquam abierunt ʽΔιοσκούρων ἀγάλματα ἐν τῷ οἰκήματι εὑρέθη καὶ τράπεζά τε καὶ σίλφιον ἐπ' αὐτῇ', quibus verbis lectisternium clare describitur. Conferenda sunt, quae ex Theopompo adnotat Suid. v. Φορμίων. Sed hic Phormio Crotoniates dicitur fuisse neque is Dioscuros recepit sed ipse ab altero Dioscuro Spartae receptus est. Vides quam difficile sit, discernere, quomodo hae duae fabu-

1) Templum Dioscurorum et Gratiarum Lacedaemone erat; cf. Paus. III, 14, 6.

2) Tyndaridas imprimis fuisse deos hospitales, qui pagos perlustrarent visitarentque homines, satis notum est; ἐμπόλω Διοσκόρω Aristoph. fr. 295; cf. Prellerum *gr. mythol.* II, p. 104.

3) Non fortuito accidit, ut Pheris deversorium publicum (πανδοκεῖον) iuxta templum Dioscurorum esset; Dem. XIX, 158.

lae formae inter se coniungendae sint[1]). In fine glossae legimus: ἀλλὰ καὶ Θεοξένια αὐτοῦ ἄγοντος ἐκάλεσαν αὐτὸν οἱ Διόσκοροι πρὸς Βάττον ἐς Κυρήνην καὶ ἀνέστη τε ἔχων σιλφίου καυλόν. Edocemur igitur Cyrenaeos Dioscuris Theoxenia egisse inde a Batti conditoris temporibus, quem regem Phormionibus adscribamus paene necesse est. Accedit schol. ad Pind. Pyth. V, 6: ἀπὸ γὰρ Λακώνων εἰς Θήραν ἦλθον (sc. οἱ Βαττιάδαι) ἀπὸ δὲ τῆς Θήρας εἰς Κυρήνην·[2]) ἢ ὅτι ἐπιφανῶς ἄγουσιν οἱ Κυρηναῖοι τὰ Διοσκούρεια Βάττου πρώτου καταδείξαντος τὴν εὐχήν. Quodsi his rebus in opinionem adducimur Spartana Theoxenia Διοσκούρεια fuisse appellata, illa sententia nonnihil firmatur eo quod in titulo quodam Spartano (C. I. G. I, 1444) legitur: ἀγωνο[θέτιν] τῶν σεμν[ο]τάτων Διοσκο[υ]ρείων ... quod recte vidit Preller, *gr. mythol.* II, p. 100 not. 1. Idem v. d. ad hoc festum pertinere intellexit narratiunculas duas, quibus praeter alia Dioscurorum in Theoxeniis epiphania perspicua fit. Conferas Paus. IV, 27, 1; Polyaen. strateg. II, 31, 4.

Conze et Michaelis, cum anno h. s. LX Graeciam perlustrarent, Spartae reppererunt nonnulas tabulas votivas Dioscuros et simulacrum deae cuiusdam exhibentes. Sub imaginibus plerumque titulos deprehendebant exaratos. Rettulerunt de his anaglyphis duoque delineando publici iuris fecerunt in *ann. d. Inst.* 1861, p. 38 sqq. tab. D, 1 et 2 (Iterum in Conzii *vorlegebll.* ser. IV, tab. 9, 5 et 7. — Cf. *arch. ztg.* 1861 p. 247*). Neque vv. dd. fugit tabularum origo; recte enim intellexerunt monumenta se invenisse festi alicuius Dioscuris vel Helenae Spartae habiti: aut Theoxeniorum aut Hyacinthiorum aut Heleniorum. Denuo eisdem tabulis operam navaverunt Dressel et Milchhoefer in uberrimo quem

1) Hanc quaestionem tractavit Meineke F. C. G. II, 2, p. 1227 sqq. Phormionem Spartanum memorant Plut. n. p. s. v. 22 et Clem. Alex. strom. I, 334.

2) Cf. schol. Ar. Plut. 925. Paus. X, 15, 4. Memineris Emmenidas quoque Thera in Siciliam venisse tradi; v. Mülleri *Orchom.* p. 332 sq. Boeckhium in *abh. d. berl. ak.* 1836, p. 89.

composuerunt catalogo marmorum Lacedaemoniorum (*Mitth. d. ath. Inst.* II, p. 293—474), quo tamquam fundamento me usum esse semel moneo [1]).

B. — In museo Spartano. 0,90×0,50. — Welcker (et Henzen) *bull.* 1844, p. 145 sqq. Keil *zwei griech. inschrr. aus Sparta und Gytheion.* Le Bas *voy. arch.* II, 4, n. 163 a. Conze-Michaelis l. c. p. 38 sq. — Marmor huius anaglyphi ceterorumque omnium est Laconicum colore subcaeruleo.

'*In der mitte des reliefs eine frau (in vorderansicht) in langem gewande mit steilen, alterthümlichen falten. In den händen der gerade herabhängenden arme perlenschnurartige wollenbinden, auf dem kopfe ein polosähnlicher aufsatz. Zu jeder seite ein Dioskur in vorderansicht (innere standbeine); die inneren arme sind in die seiten gestemmt, von den unterarmen scheint ein gewandstück herabzuhängen; die äusseren arme sind erhoben, als ob sie auf lanzen gestützt wären, die aber nicht angedeutet sind. — Sehr flüchtige arbeit. — Darunter auf vorspringender fläche inschrift von 34 zeilen*'.

Titulum, qui exorditur: οἱ σιτηθέντες ἐπὶ Νικοκ[λέ]ος κτλ. postea accuratius examinabo.

C. — Ibidem. 0,68×0,50. — G. Vischer *epigr. u. archaeol. beitr.* p. 28. Le Bas II, 1, p. 82. Conze-Michaelis p. 39, tab. D, 1. *Vorlegebll.* l. c. n. 5. — In hoc anaglypho uterque Dioscurus equum secum ducens repraesentatus est; de cetero nihil differt ab anagl. B. Sub imagine tituli satis longi vestigia adsunt, cuius prima tantum linea perspicua est: [οἱ σιτη]θέντες ἐπὶ [Σ]ιδέκτα Δεξιμάχου.

D. — Ibidem. 0,70×0,48. — Le Bas II, 1, p. 82. Conze-Michaelis p. 39 tab. D, 2. *Vorlegebll.* l. c. n. 7. Gypsum exstat in museo Berolinensi. — Dioscuri, inter se adversi, adstant alter ab altera parte deae. Capilli pileis teguntur; in lateribus sinistris gladii apparent adfixi balteis de humeris pendentibus. Eis manibus, quae, si anaglyphum adspicis, longius absunt, hastas tenent, quarum cuspides humi impositae sunt. Sub imagine: οἱ σιτηθέντες ἐπὶ Ἀνσε . . . . ?

1) Catalogi litteras singulis anaglyphis adscriptas retineo.

Iam videamus, quaenam sit dea, quae in his tabulis inter Dioscuros medium locum teneat. Eadem figura bis sola in tabulis votivis Spartanis repraesentata est (Dr.-Mhfr. nrr. 221 et 222). Vides feminam in basi stantem ita ad antiquioris artis normam exsculptam, ut non dubium sit, quin artifex xoanon aliquod imitari voluerit. Totum enim corpus cum capite ex adverso conspicitur, pedes non inter se distant, brachia sine motu dependent. Induta est chitone, qui nullo cingulo adhibito rugis parallelis ad pedes demissus est. Colligas ex hoc habitu virginem esse repraesentatam, non matronam, cui rei optime respondent tenerae corporis formae. Caput calatho operitur. Quid utraque manu teneat nondum satis intellectum est [1]). Sunt enim duo bacilla globulis distincta, quae, si Vischero credere fas est, in C ita expressa sunt, ut usque ad solum pertineant. Neque aliter fortasse de anagl. D iudicandum erit; nam cum bacillorum inferiores partes hic minus alte exsculptas videas, facile in opinionem perduceris infimas partes plane evanuisse, nisi statuere mavis sculptorem has partes omnino non expressisse. Totam enim anaglyphi superficiem variis coloribus fuisse pictam corporum formis parum elatis dilucide demonstratur. Brachia bacillis eiusdem generis sustentata monstrant simulacra Dianae Ephesiae [2]) Magnesiae [3]) Iunonis Samiae [4]).

1) Dresselio et Milchhoefero testibus eaedem 'vittae', quas appellant cum Conzio et Michaele, in anagl. G quoque apparent, id quod is qui delineationem fecit non perspexit. Non adsunt in eis anaglyphis, quae simulacrum solum exhibent.

2) Cf. E. Curtium *Ephesos* p. 36 not. 2. Dianae Ephesiae xoanum tam saepe in nummis gemmis lucernis invenitur, ut omnia enumerare desistam. E. g. vide *D. A. K.* I, 2, 13. Mionnet *Suppl.* VI, tab. III, 2. Gerhard *ant. bildw.* tabb. CCCV, CCCVII. — Iahn illa bacilla catenas esse censuit (*ber. d. s. ges. d. wiss.* 1851, p. 147), quod fieri non potest, quia plerumque non recte dependent, sed pedibus xoani paulum admota sunt.

3) *D. A. K.* I, 2, 14.

4) Recte Overbeck (*kunstmyth.* III, p. 14): '*Die arme der samischen Hera werden von zwei stützen getragen, welche seltener ganz glatt, häufiger durch ein ornament verziert sind, das wie aneinander gereihte kugeln aussieht, und am wahrscheinlichsten als*

Sed quaeritur cuius deae sit simulacrum. Nec valde late patet quaestio, quoniam fieri non potest, quin illa dea vel cultus vel alia quavis affinitate cum Dioscuris fuerit coniuncta. Cumque figura, ut vidimus, virginalem habitum ostendat, de Leda cogitari nequit. Colebantur autem ad Therapnas Leucippi filiae una cum Dioscuris coniugibus; Paus. III, 20, 2: Θεράπνης δὲ οὐ πόρρω Φοιβαῖον καλούμενόν ἐστιν, ἐν δὲ αὐτῷ Διοσκούρων ναός (cf. 14, 9. Herod. VI, 61. Liv. XXXIV, 38). Atque ex voce Φοιβαῖον non sine quadam veri specie conicias, Phoebes cultum adeo superasse Hilairae, ut haec fere in oblivionem veniret. Atqui Spartae ambae deae colebantur (Paus. III, 16, 1) et Argivi statuas earum cum filiis iuxta Dioscuros in templo Dioscurorum collocaverant (Paus. II, 22, 5). Accedit quod novimus sacerdotem quendam Λευκιππίδων καὶ Τυνδαριδᾶν (*bull.* 1873, 188). Quae cum ita sint, mihi persuasum est Spartanos Phoeben solam non veneratos esse [1]). Ac cum ne una ex Gratiis quidem (Paus. III, 14, 6) in anaglyphis nostris locum habeat, sola reliqua est soror Dioscurorum, eiusque simulacrum repraesentatum esse, cum Conzio et Michaele pro certo habeo.

H. — C. I. G. I, 1261, ex Cyriaco. 'Ad imagines marmoreas Dioscurorum, Lacedaemone. — Super imaginibus:

Θεοῖς
Σωτῆρσι Διοσκόροις

Infra easdem:

Γέροντες ἐπὶ Πο. Με. Πρατολάου τοῦ Δεξιμάχου, ὧν πρέσβ[ι]ς Νεικοκράτης Σειμήδει Κ. [2]) γεροντεύσας δ', πρεσβεύσας β''.

---

buckeln edleren stoffes erklärt werden wird, mit denen die stützenden stäbe ähnlich wie manche scepter beschlagen sind'. Cf. ibid. nummorum tab. I.

1) Phoebei nomen non est quod mireris. Item enim e. g. Castoris nomen praevalebat; cf. Καστόρειον μέλος (Plut. Lyc. 22, alibi.), πύλαι Καστορίδες Gythii (Paus. III, 21, 9), ναὶ τὸν Κάστορα (Ar. Lys. 988), ut de Romanis sileam. Nusquam autem Castor seorsum a fratre cultus est.

2) De hoc K nominibus addito, quo munus quoddam significetur, disseruit Boeckh l. c. p. 613.

F. — Mistrae, in ecclesiae gradu 0,29×0,40. — '*Erhalten ist wenig mehr als die beine der Dioskuren in vorderansicht, welche zu beiden seiten eines tischähnlichen gestells stehen (äussere standbeine); über den inneren armen lag die chlamys, die äusseren arme scheinen, einem undeutlichen ansatze nach, auf die lanzen gestützt gewesen zu sein. Der raum zwischen den zwei tischbeinen ist ganz durch zwei neben einander gestellte grosse amphoren eingenommen. Auf dem tisch spuren von darauf liegenden gegenständen. Unterhalb der darstellung erkennt man*:

. . . . εςπιμ . . . . .
. . . . . υς . . . . .
. . . . αμο .
. . . .'

Tituli initium — si levem lapidarii errorem statuamus — ita reconcinnandum videtur: οἱ σιτηθέντ]ες aut γέροντ]ες ἐπὶ M . . . . . . [πρέσβ]υς [1]) . . . . .

Huius igitur tituli argumentum non differt a ceteris, quos recensuimus. Enumerantur enim homines, qui viro aliquo praeside cenaverunt. Quae cenae, cum super titulos imagines deorum exsculptae sint, dapes festi alicuius illis deis habiti fuerint necesse est. Atque quoniam Helenae xoanon non ubique occurrit, elucet eam in illo festo non tantopere esse cultam, quam Dioscuri. Id ipsum non minus accurate quadrat in Theoxenia, quam illae sacrae dapes, quibus certi homines fructi sunt. Praeterea habemus anaglyphum F, in quo ipsam mensam sacram videmus cibis repletam et sub mensa duo vasa vinaria. Adstant ad mensam Dioscuri similiter atque sexcenties in tabulis votivis dei pone aram stantes aut sedentes cernuntur accepturi sacra libationesve, quae iis ab adorantibus hominibus offeruntur [2]). Ac talia anaglypha esse dedicata, ut monumenta essent sacrificiorum, nemo non

---

1) Conspicitur enim ⁻ᴰΥΣ.

2) Iuxta mensam Aesculapium quoque vides stantem in anaglyphis Atheniensibus; de Duhn *Mitth. d. ath. inst.* 1877, p. 218, tab. XV = *arch. ztg.* 1877, p. 141, n. 2, = Girard, *bull. de corr. hell.* II, p. 60 sq. et *Mitth. d. ath. inst.* l. c. p. 220, tab. XVI = *arch. ztg.* l. c. p. 143 n. 8.

intellegit. Imprimis autem conferri debet illud anaglyphum Thessalicum, ubi in eo est, ut Dioscuri in lectum demissi placentis in mensa positis vescantur. Neque praetermittendum est anaglyphum Veronense ab Argenida quodam dedicatum (Conze *vorlegebll.* ser. IV, tab. 9, 8. Dütschke *ant. bildw. in Oberit.* IV, nr. 538). In quo ante Dioscuros, qui in basi stant, collocata est altera basis arae non dissimilis; in ea duae amphorae operculis tectae positae sunt; ante hanc basim aram videmus in cuius fronte aper exsculptus est. Sequitur Argenidas in aram libationem faciens.

Itaque cum iam exploratum habeamus quinque illa anaglypha a Spartanis hominibus ob eam causam sacro aliquo loco esse constituta, ut palam facerent quinam in Theoxeniis sacrae dapis participes fuissent, parati sumus, longiorem, qui unus paene incolumis servatus est, titulum (anagl. B) examinare.

Οἱ σιτηθέντες ἐπὶ Νικοκ[λέ]ος
Εὐρυβάνασσα Σιδέκτα
Τυνδάρης Σιδέκτα ἱερεύς
Δεξίμαχος Πρατόλα
Σιδέκτας Πρατόλα
Δαμοκρατίδας Εὐδαμίδα βί[δυ]ος
Τιμόδαμος Δαμοστράτου τε . . . οιε ?
Ἀριστομένης Ἀριστομένεος ἔ[φ]ορος
Φιλόστρατος Σώπατρος (?) νομοφύλαξ
Δινοκράτης Δινοκλέος ὑὸ[ς] οἰκονόμος
Πρατόλας Δεξιμάχου
Δαμοκράτης Ἀριστοκρατίδα κάρυξ
Εὐκράτης Εὐρυκράτεος μάντις
Καλλικράτης Νι . . . . ος . . . .
Νικανδρίδας Νι . . . . . δαριστάς
Εὐδαιμοκλῆς . . . . ὑὸς κατὰ νόμον
Δαμοκράτης ἀρχιτέκτων
Μαντικλῆς Σωστρατέος μυρεύς
Δαμοκράτης χρυσωτάς
Φιλωνίδας Φιλωνίδα Καρνεονείκας
Ἀριστόπολις Δαμοχάρισος κατὰ νόμον
Πρατόνικος ἐξ Περφίλα κλωστάς

Ἱππομέδων Νικάνδρου Π[α]ιανίας
Νικοκλῆς ἐκ Τυνδάρους ψιλινοποιός
Ἀνδρόνικος Νικοκλέος καθαρτής
Ζήλωτος ἐκ Παντεμίας γραματεύς
Δάμιππος Ἀγαθοκλέος ῥ[η]γεύς
Στέφανος Φοιβίδα ἀναγνώστας
Νικηφόρος ἐγ Δαμοστράτου ὑπηρέτας
Δαμοκράτης Λυσίππου πάροχος
Εὔνους ἐξ Ἀριστοκρατέος ἀρτοκόπος
Κλωδία Κυρίας Ἀκαμαντίας στεφανόπ[ω]λις
. . . .
Φιλόδαμος ἐξ Εὐθυκλέος μάγιρος
Διοκλῆς Κυρίας Καλλισθενίας ἀφατειν?

Var. lectt. 1 ἐπίνικος W. ἐπὶ Νικο[κλέος K. ex coniect. ἐπὶ Νικοκ[λέ]ος LB. ἐπὶνικοκ . . . ς C.-M. — 2. Σιδέκτα . . . . C.-M. — 6. βί[δυ]ος W. βί[ακ]ος H. β[ί]δυος LB. \ᵛΟΣ C.-M. — 7. ἱερεύς W. ΤΕ . ΟΙΕ C.-M. Γ . . ΟΙΞ D.-M. — 8. Ἀριστομενίδα ἔ[φο]ρος W. Ἀριστομενειδε . ο . υος H. Ἀριστομενίδα ἔφορος LB. Ἀριστομένεος D.-M. — 9. Ζω . ια . τος W. Σωσ[ι]κράτεος LB. Σώπατρος? D.-M. — 10. ὑο[ς] οἰκονόμος W. Συνδικονόμος H. γυναικο[νό]μος LB. — 12. ΛΙ. ΙΣ . . ΚΡΑΤΙΔΑ W. ex quo fecit Λυσικρατίδα. [Ἀρ]ισ[το]κρατίδα K. ex coniect. Ἀριστοκρατίδα LB. — 14. ΝΙ . . . ΟΣΑΜΛΗΞ W. [Κ]λέ[ω]νος LB. ΝΙ . . . ΟΣ D.-M. — 15. ΝΙ . . . Α . Ο . Ο W. Νικομάχου LB. id. κιθαριστάς. — 16. Ι . ΙΔΑΣ . ΔΑΥΟΣ W. (Εὐδαιμοκλέος) διδάσκαλος LB. — 17. Δαμοστράτης H. — 18. Σωσικράτεος γλυφεύς LB. — 19. Δαμοκράτεος inseruit LB. — 20. Καρνειονείκας W. Καρνεονείκας LB. et C.-M. — 21. Δαμοχάριδος W. Δαμοχάρα ὑὸς H. Δαμοχάρισος LB. et C.-M. — 22. ἐκ Περφίλας W. ἐξ Περφίλας LB. ἐξ Περφὶλα C.-M. — 23. Εἰανίας W. Παιανίας H. πειαντάς coniect. K. p. 20. Π[α]ιανίας LB. Π . ΙΑΝΙΑΣ. C.-M. — 24. ὑ[ε]λινοποιός ex ΥΙΛΙΝΟΠΟΙΟΣ W. ψιλινοιποιός LB. et C.-M. conl. Athen. XV, p. 678b. — 27. ῥογεύς LB. — 30. Νικμφόρος legitur, C.-M. D.-M. — 31. Παρόχου W. πάροχος LB. C.-M. — 32. '*Dopo il v. 32 siegue uno spazio vuoto d'un verso*'. C.-M. Adsentt. D.-M. — 35. ἀφαρειν W. ἀφατειν LB. C.-M.

Apparet hos homines ita enumeratos esse, ut in priore

parte fere dimidia nobiliores velut sacerdotes et magistratus nominentur, tum homines de plebe, opifices, ut vides, fere omnes. Porro, si e priore parte magistratus et praesidem epularum semoveris, habebis hosce:

Εὐρυβάνασσα Σιδέκτα
Τυνδάρης Σιδέκτα ἱερεύς
Δεξίμαχος Πρατόλα
5. Σιδέκτας Πρατόλα
11. Πρατόλας Δεξιμάχου.

Nonne extra dubium positum est, quin hic deprehendamus unam familiam, ex qua prodierint Dioscurorum sacerdotes? Neque enim casu evenit, ut Sidectae filio nomen sit Τυνδάρης (cf. Keilium spec. onomat. p. 16 et p. 30). Laudatur insuper in titulo Spartano (C. I. G. I, n. 1340) alter Δεξίμαχος Πρατολάου .... ἱερεὺς μβ' ἀπὸ Διοσκούρων (cf. Boeckhium ad h. l. — adde ib. nrr. 1439 et 1440, 2).

At huius familiae homines non solum in lapide, de quo agimus, recensentur, verum etiam in C et H. In C enim epularum praeses est Σιδέκτας Δεξιμάχου in H praeest Πο. Μέ. Πρατόλαος τοῦ Δεξιμάχου, qui cum ceteris Deximachis tum illi, quem aliunde attuli, Dioscurorum sacerdoti Ποπλι. Μέμ. Δεξιμάχῳ Πρατολάου cognatus est. Denique nomen Σειμήδης (H) cum Σιδέκτας coniungere licet secundum rationem in nominibus dandis saepissime usurpatam (cf. E. Curtium *monatsber. d. berl. akad.* 1870, p. 162 sq.).

Pro certo autem haec lucramur: inter eos, qui ad epulas vocabantur, primarium locum obtinebant homines eius familiae, quae Dioscurorum sacerdotio fungebatur, deinde eligebantur singuli magistratus, denique alii quoque cives eodem honore digni habebantur[1]).

---

1) Ad quam normam illi cives electi sint, non audeam discernere. Nam satis dubium est in Prytaneo Atheniensium nedum apud Spartanos eandem viguisse consuetudinem, quam in Orco exstare Aristophanes (ran. 761 sqq.) iocose dicit:

νόμος τις ἐνθάδ' ἐστὶ κείμενος
ἀπὸ τῶν τεχνῶν ὅσαι μεγάλαι καὶ δεξιαί,
τὸν ἄριστον ὄντα τῶν ἑαυτοῦ συντέχνων
σίτησιν αὐτὸν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν.

Obiter moneo Athenis quoque Anaceis festo Dioscurorum parasitos ad epulas sacrificales admissos esse. In Anaceo enim hic legebatur titulus columnae inscriptus: τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν τοῖν ἐξαιρουμένοιν τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη τὸ μὲν ἕτερον τῷ ἱερεῖ, τὸ δὲ τοῖς παρασίτοις. Polemo ap. Athen. VI, 235 b [1]). Atque Helenam quoque partem cepisse Anaceorum tradit Pausanias rhetor ap. Eusth. Od. I, 399, p. 1425. Quae cum ita sint, mihi quidem verisimile fit festum Atheniense ex Theoxeniis Spartanis natum esse.

Iam vero hac disputationis nostrae particula pertractata imitemur mathematicos, qui cum finem computandi fecerunt, alia ratione instituta quasi retrorsum euntes veritatem computationis probant. Videamus igitur, num ipsis nominibus, quae tituli nostri contineant, aliquid insit, quod ad Theoxenia spectet. Agitur de nomine 'Σιδέκτας', quod in tabulis nostris quater legitur (C; B vv. 2; 3; 5). Id nomen procul dubio explicandum est: ὁ τῶν σιῶν δέκτης (Od. IV, 248), i. e. ὁ τοὺς σιοὺς [2]) δεξάμενος vel rectius, ut arbitror, ὁ τὼ

Prorsus aliam de titulo nostro sententiam profert Foucart (*les associations religieuses* p. 30 not. 1): '*Une société religieuse de Sparte, qui du reste est tout à fait différente des thiases, offre l'exemple d'une liste assez complète des fonctions subalternes ou des métiers nécessaires au céremonies du culte*' Haec explicatio quomodo cum illo titulo conveniat, ego non intellego. Nam si eos homines, qui inferioribus officiis functi sunt (vv. 12—35) excipis, habebis praeter Nicoclem praesidem tantum illam sacerdotum familiam et singulos magistratus e singulis collegiis electos: βίδυον (de quo munere cf. Boeckhium in C. I. G. I, p. 609), ἔφορον, νομοφύλακα, οἰκονόμον; et ex eis sodalitatem sacram constitisse veri dissimillimum est. Porro obstat titulus anaglyphi H, quod ad hanc monumentorum seriem pertinere nemo infitias ibit; nam hic senatores (γέροντες) invenimus enotatos.

1) Cf. A. de Kampenum de parasitis p. 47 sq. Idem p. 49 illa Dioscurorum 'prandia' (v. supr. p. 4 sq.) non in Prytaneo, ut apud Athenaeum traditur, sed in Anaceo instituta esse putat; talibus autem coniecturis eum abstinuisse mallem.

2) Athen. VIII, p. 382 f.: τοὺς θεοὺς οἱ Λάκωνες σιούς φασιν. — Similiter formata sunt vocabula σιοκόρος Hes.; σιοείδης et σιείδης Et. M. v. Ἀραιτασιείδης; Σειμήδης supra in anagl. H.

Σιὼ δεξάμενος. 'Τὼ Σιώ' enim Dioscuri apud Lacedaemonios κατ' ἐξοχήν vocabantur, sicuti Athenis Ceres et Proserpina τὼ Θεώ audiebant; cf. Ar. pac. 214 (cum schol. adde v. 285); Lys. vv. 81; 86; 983; 1096; 1181. Xen. anab. VI, 6, 34. Hell. IV, 4, 10. Scio equidem multos fuisse Θεοδέκτας; tamen confidentissime contendo illos Dioscurorum sacerdotes non fortuito id nomen accepisse. Constat enim Oeneum, quia Herculem in hospitium recepisset, Δεξαμενόν vocatum esse (Preller *gr. mythol.* II, p. 245; adsentitur Stephani C. R. 1865 p. 103), et Sophocles, quod Aesculapium recepisse putabatur, cognomen Δεξίων nactus est. Quare nostro iure existimabimus in Sidectae gente similem viguisse fabulam atque in Euphorionis Pamphais ceterorum gentibus, quibus xenia Dioscurorum ἱερὰ πατρῷα essent. Ac si reputaverimus pleraque sacra publica ex privatis ita orta esse, ut gentes sacerdotia suorum deorum retinerent, perspicuum erit, cur illa, quam extricavi, familia publicum quoque sacerdotium Dioscurorum habuerit.

Cap. II.

De hospitiis divinis.

Vera ac principalis sacrificiorum natura ita definienda videtur, ut dei sacris a hominibus oblatis fruantur. Cadit hoc praecipue cum in omnia illa Graecorum sacra, quae xeniorum nomine comprehendimus, tum in lectisternia, quorum apparatus prorsus idem erat atque hominis epulantis. Eadem ratione intelligitur, quaenam fuerit causa cur fabulae de Dioscurorum hospitiis in eis gentibus vigerent, quae Dioscuros xeniis colere solebant. Sed cum fabulae simillimae etiam de aliis deis heroibusque referantur, operae pretium fore crediderim illa hospitia divina paulo explicatius pertractare.

Initium faciamus, ut decet, a Iove. Cuius dei lectisternia attigit Diodorus Sinopeus (ap. Athen. VI, 239 b. Meineke F. C. G. III, p. 543 sq.), cum parasitum ita facit loquentem:

'Βούλομαι δεῖξαι σαφῶς
ὡς σεμνόν ἐστι τοῦτο (sc. τὸ παρασιτεῖν) καὶ νενομισμένον
καὶ τῶν θεῶν εὕρημα, τὰς δ' ἄλλας τέχνας
οὐδεὶς θεῶν κατέδειξεν, ἀλλ' ἄνδρες σοφοί.
τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος,
ὁ τῶν θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως.
οὗτος γὰρ εἰς τὰς οἰκίας εἰσέρχεται
οὐχὶ διακρίνας τὴν πενιχρὰν ἢ πλουσίαν.
οὗ δ' ἂν καλῶς ἐστρωμένην κλίνην ἴδῃ
παρακειμένην τε τὴν τράπεζαν πάνθ' ἃ δεῖ
ἔχουσαν, ἤδη κατακλιθεὶς καὶ κοσμίως
ἀριστίσας ἑαυτὸν, ἐντραγὼν, πιὼν,
ἀπέρχετ' οἴκαδ', οὐ καταβαλὼν συμβολάς.

Haec verba, ut patet, alio modo explicari non possunt, nisi statuimus poetam Iovis lectisternia explicare voluisse; nam quandam veri speciem inesse nemo negabit, qui recte perpenderit v. 3: (τὸ παρασιτεῖν) τῶν θεῶν εὕρημα et v. 5. Ac videlicet insuper lectisternia, de quibus Diodorus cogitavit, non publica (v. supr. p. 4) sed sacra domestica fuisse.

Quoniam autem cognovimus xeniorum sacra minus ad superos deos pertinuisse, nemo mirabitur, quod illae de hospitiis fabulae imprimis referantur de heroibus eisque deis, qui heroum naturae aliquatenus appropinquent. Inter eos Hercules, qui sive deus sive heros in omnibus Graeciae regionibus colebatur, primum locum obtinet. Neque dubito, quin famae eum apud aliquem e maioribus devertisse maximam partem in pagis oppidisve pridem divulgatae postea demum cum expeditionibus eius coniunctae sint[1]).

De Oeneo-Dexameno Aetolorum rege iam locuti sumus. Alter Dexamenus Burae in oppido Achaiae Herculem excepisse ferebatur (schol. Call. hym. IV, 102. Paus. VII, 18, 1). Aeacus,

---

1) In talia hospitia optime quadrat edacitas herois, quam respicit illud de morantibus proverbium: ''Ἡρακλῆς ξενίζεται'; Ar. Lys. 928 c. schol.

qui Aeginae colebatur, apud Pindarum (Nem. VII, 123) Herculis hospes vocatur, ad quem locum scholiasta adnotat: ἀπέστρεφε (sc. Pindarus) δὲ τὸν λόγον πρὸς τὸν Ἡρακλέα, ὡς τοῦ Αἰακοῦ ὑποδεδεγμένου καὶ ἐξενικότος (cf. schol. Nem. IV, 36); atque notissimus est eiusdem Pindari locus in Isthm. VI (V), 50 sqq., quem ex Hesiodi Eoeis (Kinkel frg. 165) sumptum esse schol. ad v. 53 affirmat: ἐκεῖ γὰρ εὑρίσκεται ἐπιξενούμενος ὁ Ἡρακλῆς τῷ Τελαμῶνι κτλ. cf. Theocr. XIII, 38.

Non semel eponymos pagorum et oppidorum hospites Herculis reperimus, e. g. in Thracia Poltyn (Steph. B. v. Μεσημβρία. Apollod. II, 5, 9), in Arcadia Pholum (Steph. B. v. Φολόη. cf. Apollod. II, 5, 4. Diod. IV, 12. Polyaen. I, 3, 1), in Argolide Molorchum (Steph. B. v. Μολορχία. cf. Apollod. II, 5, 1 [1]), quem conditorem vel heroem cultum esse inde suspiceris, quod lucum Molorchi Vergilius (Georg. III, 19) memoret.

Thespiis Boeotiae Hercules apud Thespium devertit, cuius quinquaginta filias una nocte compressit; cf. Apollod. II, 4, 9; Diod. Sic. IV, 29. Paulo aliter Pausanias narrat (IX, 27, 5) unam e filiabus non cum Hercule concubuisse, quapropter heroem iussisse virginem per totam vitam innuptam sibi sacerdotem esse. Atque idem Pausanias refert Thespiis esse templum Herculis, in quo virgo sacerdotio praedita sit.

Plus edocemur si Atticam adeamus. In exordio enim Lysidis Platonis (2, c.) Ctesippus alludens narrat Hippothalem, amantem Lysidis, veteres res et notissimas ad puerum celebrandum canere velut avorum divitias victorias, — 'πρὸς δὲ τούτοις,' inquit, 'ἔτι τούτων κρονικώτερα. τὸν γὰρ τοῦ Ἡρακλέους ξενισμὸν πρῴην ἡμῖν ἐν ποιήματί τινι διῄει, ὡς διὰ τὴν τοῦ Ἡρακλέους ξυγγένειαν ὁ πρόγονος αὐτῶν ὑποδέξαιτο τὸν Ἡρακλέα, γεγονὼς αὐτὸς ἐκ Διός τε καὶ τῆς τοῦ Δήμου ἀρχηγέτου θυγατρός, ἅπερ αἱ γραῖαι ᾄδουσιν [1]). Videlicet igitur huius gentis proavus ut hospes Herculis atque ex Iove et filia Δήμου ἀρχηγέτου natus sacris gentiliciis una cum Hercule fructus est. Aliud exemplum Διόμεια pagus praebet. Nomen enim habebat a Diomo, filio Collyti, item pagi eponymi. Diomum Hercules, cum patrem visitaret, adamasse dicitur. Steph. B. v. Διόμεια· — — Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιξενωθεὶς παρὰ Κολλύτῳ ἠράσθη Διόμου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. οὗ ἀποθεω . . . Quibus verbis Meineke in editione sua subiecit notam: 'οὗ ἀποθεω[θέντος . . . ? in quo οὗ ad Herculem spectat', quam sententiam v. d. pluribus probare conatus est in anall. Alex. p. 177 sq. Eandem coniecturam ego quoque libenter amplector; existimo enim Stephanum in eis, quae deperdita sunt, locutum esse de festo, quod ob illud hospitium esset institutum. Etenim Herculis templum in Diomeo pago situm fuisse ac festum esse actum Hegesander testatur ap. Athen. VI, 260 a; cf. XIV, 614 d. Ad hoc festum respicere videtur Stephani glossa v. Κυνόσαργες· — — Δίομος γὰρ Ἡρακλεῖ ὡς θεῷ θύων τὰ ξενώσων ἱερὰ Ἡρακλεῖ ἥρῳ ἔδειξε κτλ. Quis non his verbis — licet admodum sint corrupta — xenia significari censebit? Scimus enim eam esse naturum horum sacrorum, ut dei vel heroes ad epulas sacras invitentur, id quod hic egregie quadrat [2]).

Porro si addas illos parasitos, quos in Theoxeniis Delphicis Spartanis Atheniensibus explicandis reperimus, recte intelleges alteram partem illius orationis, quam Diodorus poeta parasitum facit recitantem (v. supr. p. 25) [3]). Verba sunt inde a v. 23:

---

1) Idem schema mythicum Theseo Hecalen pagi heroinam visitanti adaptatum est. Huic feminae Theseum sacra, 'ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας' instituisse Philochorus tradit; cf. Plut. Thes. 14: ἔθυον γὰρ Ἑκαλήσιον οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκάλῳ Διΐ καὶ τὴν Ἑκάλην ἐτίμων Ἑκαλίνην ὑποκοριζόμενοι διὰ τὸ κἀκείνην νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν ἀσπάσασθαι πρεσβυτικῶς κτλ. Adiunge Callimachum (fr. 41) apud schol. Ar. Ach. 127.

1) Cf. Robertum *philologische untersuchungen*, V, p. 33.

2) Fuit etiam Herculi adamatus Abderus Mercurii filius; cf. Hellan. ap. Steph. B. v. Ἄβδηρα; Apollod. II, 5, 8. — Adiungere licet Theagenem Thasium, qui Herculis filius dicebatur, Paus. VI, 11; is enim iussu oraculi Delphici heros factus et Thasi et alibi quasi heros medicus colebatur, cuius generis heroes multi inveniebantur in Graecia. Moneo in universum saepius usu venisse, ut mortui ex oraculo in heroum numerum reciperentur.

3) Hercules parasitorum 'nutrix' Plaut. Curc. 358.

τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα λαμπρῶς ἡ πόλις,
ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη,
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
οὐπώποτ' ἀπεκλήρωσεν οὐδὲ παρέλαβεν
εἰς ταῦτα τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυ' ἀστῶν[1]) γεγονότας
ἔχοντας οὐσίας, καλῶς βεβιωκότας.

Patet inde ad Herculis festa pagana viros esse electos, qui quodammodo cum deo epularentur. Cf. Athen. VI, 235 a ex Clidemo: καὶ παράσιτοι δ' ᾑρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ. Adde p. 234 e[2]).

Denique licebit morem quendam Romanorum adhibere, quoniam ex ingenio Graecorum natus Graecos ritus aperte sequitur. Potitiorum enim gens, cuius maiores Herculem excepisse putabantur, Herculis parasitorum munere fungebantur. Eidem Herculi homines divitiores decimam copiarum suarum partem dedicare solebant. Satis habeo locos primarios adferre; Diod. IV, 21, 2: — — τῶν ἐπιφανῶν ὄντες ἀνδρῶν Κάκιος καὶ Πινάριος ἐδέξαντο τὸν Ἡρακλέα ξενίοις ἀξιολόγοις καὶ δωρεαῖς κεχαρισμέναις ἐτίμησαν· καὶ τούτων τῶν ἀνδρῶν ὑπομνήματα μέχρι τῶνδε τῶν καιρῶν διαμένει κατὰ τὴν Ῥώμην. — — 3. Ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς ἀποδεξάμενος τὴν εὔνοιαν τῶν τὸ Παλάτιον οἰκούντων, προεῖπεν αὐτοῖς, ὅτι μετὰ τὴν ἑαυτοῦ μετάστασιν εἰς θεοὺς τοῖς εὐξαμένοις ἐκδεκατεύσειν Ἡρακλεῖ τὴν οὐσίαν συμβήσεται τὸν βίον εὐδαιμονέστερον ἕξειν· ὃ καὶ συνέβη κατὰ τοὺς ὕστερον χρόνους διαμεῖναι μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων. 4. — — Κατεσκεύασαν δὲ καὶ Ῥωμαῖοι τούτῳ τῷ θεῷ παρὰ τὸν Τίβεριν ἱερὸν ἀξιόλογον, ἐν ᾧ νομίζουσι συντελεῖν τὰς ἐκ τῆς δεκάτης θυσίας. Dionysius Hal. (I, 40) tradit reges Aborigi-

1) Codicum scripturam δυναστῶν vel δυαστῶν emendavit Cobet, cui adsensi sunt Dettmer de Herc. Att. p. 24 et A. de Kampen de parasitis p. 25 et 28 sq.

2) De mensa sacra Herculis cf. C. I. A. II, 602, v. 5 sq.; cf. ib. 603. Fortasse etiam in titulo Attico C. I. A. I, 4 mensa Herculi exornanda memoratur.

num, qui montem Palatinum incolerent, Herculem ad hospitium invitasse, primumque Evandrum deum colere incepisse; — ἀγασθεὶς δὲ τοὺς ἀνθρώπους τῆς φιλοξενίας Ἡρακλῆς, τὸν μὲν δῆμον ἑστιάσει ὑποδέχεται, θύσας τῶν βοῶν τινας καὶ τῆς ἄλλης λείας τὰς δεκάτας ἐξελών. Paulo infra ad Potitios et Pinarios venit auctor, τοὺς μαθόντας τότε τὴν Ἑλληνικὴν ἱερουργίαν. Nihil differt narratio Livi I, 7. Conferas Paulium *realencyclop.* III, p. 1176; Prellerum *röm. mythol.* p. 644 et p. 650 sq.

Inter ceteros deos, qui terram perlustrantes homines visitasse dicuntur, Ceres imprimis in quaestionem vocanda est. In Arcadia fama erat Trisaulem et Damithalem deam hospitio excepisse ac postea templo exstructo primos festis diebus veneratos esse; Paus. VIII, 15, 1 extr. In Achaia Pellenensibus erat templum Δήμητρος Μυσίας; cf. Paus. VII, 27, 3 qui ita pergit: ἱδρύσασθαι δὲ αὐτὸ Μύσιόν φασιν ἄνδρα Ἀργεῖον· ἐδέξατο δὲ οἴκῳ Δήμητρα καὶ ὁ Μύσιος λόγῳ τῷ Ἀργείων. Nimirum ad Mysiam oppidum Argivorum referebatur hic cultus; ibi enim eandem Δήμητρα Μυσίαν invenimus; cf. Paus. II, 18, 3: — — Δήμητρος Μυσίας ἱερόν, ἀπὸ ἀνδρὸς Μυσίου τὸ ὄνομα, γενομένου καὶ τούτου, καθάπερ λέγουσιν Ἀργεῖοι, ξένου τῇ Δήμητρι. Fortasse hic Mysius ex ipso deae cognomine ortus est (cf. Μυσίας Ἀρτέμιδος ἱερόν Spartae, Paus. III, 20, 9), verum tamen eum una cum dea cultum esse ego putaverim; neque defuerit, opinor, gens, quae Mysium pro ἥρῳ ἀρχεγέτῃ habuerit. Talis saltem est condicio Phytali et Phytalidarum, gentis Atticae (Hes. s. v.). Pausanias enim, ubi de Cereris in pago Λακιάδαις templo refert (I, 37, 2) ita verba facit: ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ Φύταλόν φασιν οἴκῳ Δήμητρα δέξασθαι· sequitur epigramma, quod in Phytali sepulcro legi affirmat:

ἐνθάδ' ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν ἱερὰν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει·
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Inde concludendum est Cererem a gente Phytalidarum esse cultam eumque cultum ad principem maiorum relatum, qui deam

in hospitium recepisset [1]). Plures etiam Cereris hospites enumerare possum, velut Celeum (Apollod. III, 14, 7), et Herchium pagi eponymum (Steph. B. v. Ἑρχιά). Verum in his acquiescam. Vnum tantum adferre libet. Ovidius enim raptum Proserpinae relaturus (Fast. IV, 424) narrat Arethusam et alias deas et Cererem ad 'sacras dapes' invitasse; quod Preller (ad Polem. p. 67) interpretatus est: 'Theoxenia parantur ab Arethusa (i. e. Arethusae parabantur), adsunt cetera Siculae religionis numina, inter ea Ceres et Proserpina'. Non inepte quidem, sed vereor, ne his Ovidii verbis nimiam veritatem attribuerit [2]).

Denique inspiciamus hospitia Bacchi. Is deus ubique fere 'ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας' (schol. Ar. eqq. 698) donavit, id quod ei, ut vidimus, cum aliis deis commune est. Calydone Oeneum visitavit eique vitem dono dedit (Hyg.

1) Versa vice Cychreum Salaminiorum heroem Eleusine a Cerere receptum et 'ἀμφίπολον' deae factum esse Hesiodus (ap. Strab. IX, p. 303 = Steph. B. v. Κυχρεῖος πάγος) narravit.

Phytalidarum gens Theseo quoque hospitium praebuisse ferebatur; Plut. Thes. XII: ἄνδρες ἐκ τοῦ Φυταλιδῶν γένους ἀπαντήσαντες ἠσπάσαντο πρῶτοι — — καὶ μειλίχια θύσαντες εἱστίασαν οἴκοι (cf. Paus. I, 37, 3). Quam ob rem Phytalidae Oschophoriis praeerant, Θησέως ἀποδόντος αὐτοῖς ἀμοιβὴν τῆς φιλοξενίας (Plut. Thes. XXIII extr.). Cf. de huius festi caerimoniis A. Mommsenum *heortol.* p. 271 sqq. impr. p. 284.

2) Gerhard monumentum marmoreum, quod in *ant. bildw.* (tab. III, 4; p. 47; cf. *akad. abh.* II, p. 576 et 390 not. 144, tab. LXXIX, 2) edidit, pro lectisternio Cereris et Proserpinae habuit. In humili lecto a fronte serpentis imagine ornato collocata sunt duarum dearum simulacra, quorum capita deperdita sunt; longis vestibus induta sunt; altera dea, quia dextrum pectus habet nudatum, virginis habitum ostendit. Sed cum in lecto etiam quattuor leonum imagines conspiciamus, certe dubitari potest, num artifex re vera Cererem eiusque filiam voluerit fingere. — Sella marmorea Cereris attributis symbolisve exornata delineata est in *Mus. P. Cl.* VII, 45 = Bouillon III, 75; altera exstat Monachi, cf. Brunnium *glyptoth.* n. 246; Venuti *Mon. Matth.* II, 73, 1. Moneo id ea de causa, quod non dubium est, quin eius generis sellae ex eis lectisterniis natae sint, in quibus celebrandis non lecti sed sellae adhiberentur neque deorum signa sed symbola tantum adessent; cf. Brunnium *ann. d. Inst.* 1851, p. 102 sqq.

fab. 129. Apollod. I, 8, 1). Hunc regem Herculis quoque hospitem iam cognovimus [1]) cumque fabularetur eundem et Bellerophontem (Il. VI, 216 sqq.) et Alcmaeonem hospitio excepisse et illos venatores Calydonios per novem dies epulis oblectasse, nemo non videt eum vel maxime proxeni mythici speciem prae se ferre.

In Attica tres hospites Bacchi reperiuntur: Icarius Semachus Amphictyon (v. Iahnium *arch. beitr.* p. 205 sqq.). Icarius, eponymus Icariae pagi, Athenis colebatur (Ael. n. an. VII, 28), sine dubio ut propagator et vini et religionis bacchicae; ac memoratu dignum videtur deum, sicut Calydone cum Althaea, Oenei uxore concubuerit, ita Erigonam quoque Icarii filiam amavisse [2]). Erigona et Phanothea mater heroicos honores adeptae sunt (Ael. l. c. Clem. Alex. strom. I, p. 133 Sylb.). Ad Phanotheae nomen Iahn recte adnotat: '*ein name, der doch offenbar darauf hindeutet, dass sie in der sage mit der erscheinung des gottes in verbindung gebracht war*'. Cf. Welckerum *nachtr. z. aesch. tril.* p. 223.

De Semacho Stephanus Byz. haec habet v. Σημαχίδαι· δῆμος Ἀττικῆς, ἀπὸ Σημάχου, ᾧ καὶ ταῖς θυγατράσιν ἐπεξενώθη Διόνυσος, ἀφ' ὧν αἱ ἱέρειαι αὐτοῦ. Etiam hic igitur filiae herois ad hospitium pertinent atque ita quidem, ut quasi sacerdotes dei intellegendae sint. Conf. Euseb. chron.

1) Μόλορχος idem significat atque Οἰνεύς, quod opinionem afferre potest Molorchum quoque non solum Herculis sed etiam Bacchi hospitem fuisse; v. supr. p. 26.

2) Cf. fabulas simillimas, quae sunt de Herculis cum Deianira (Hyg. f. 33) cum matre Theagenis Thespiadibus Diomo Abdero consuetudine. — De Prosymno Argivo, amatore Bacchi cf. Arnob. adv. gent. V, 28. Anonym. apud Westermannum Μυθογράφοι, p. 368. Hyg. Astron. II, 5. Paus. II, 37, 5. U. de Wilamowitz anal. Eurip. p. 181 not. 4. Kaibel epigr. gr. 821. De Cerere Προσύμνῃ monuit Robert Erathosthenes, p. 230 not. 21. Nescio an idem fuerit Prosymnus heros quidam Lacedaemoniorum, de quo Pausanias (III, 13, 5) ita verba facit: πρὸς αὐτῷ δὲ (sc. τῷ ναῷ Διονύσου Κολωνάτα) τέμενός ἐστιν ἥρωος, ὃν τῆς ὁδοῦ τῆς ἐς Σπάρτην Διονύσῳ φασὶ γενέσθαι ἡγεμόνα. τῷ δὲ ἥρωϊ τούτῳ πρὶν ἢ τῷ θεῷ θύουσιν αἱ Διονυσιάδες καὶ αἱ Λευκιππίδες.

30, ubi una tantum filia memoratur, cui deus nebridem dono dat, id quod eodem spectat; aptissime igitur conferri potest cum illa Thespii filia, quam Hercules sacerdotem creavit. Cf. Welckerum l. c. p. 208 sq. et 225.

Amphictyon rex, qui, ut Philochorus (ap. Athen. II, 38 c.) tradit, a Baccho vinum miscere eruditus Διονύσῳ ὀρθῷ aram in templo Horarum dedicaverat, non solum Bacchum, sed alios quoque deos excepisse videtur; Paus. I, 2, 5: μετὰ δὲ τὸ τοῦ Διονύσου τέμενός ἐστιν οἴκημα ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ, βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτυὼν ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν καὶ Διόνυσον. In illa igitur aedicula sive anaglyphum alte expressum sive singulae figurae ex argilla factae compositaeque ad imaginis speciem conspiciebantur; atque talem fere repraesentationem mihi fingam, qualem anaglyphum Athenis servatum exhibet [1]). Illic enim in longo lecto accubant Hercules vir quidam Musae, e quibus una deperdita est. Adstant mensae et crateres cubantibusque ministrant Amores partim humi se tenentes partim in aëre inter arbores volitantes [2]).

1) L. de Sybel *catal. d. sculpt. 2. Abth.* n. 548. Heydemann *ant. marmorbildw.* n. 157. Conze *arch. ztg.* 1865, p. 118*, 2. ibid. 1871, p. 81 sqq. tab. XLIX. Pervanoglu *grabst.* p. 41, n. 18; *familienmahl*, p. 14, 2.

2) Conze hic mortuum in Elysio cum deis epulantem repraesentatum esse putat. Nonne ita potius interpretandum est, ut familia quaedam, quae Herculem et Musas colere soleret, avo consecrato xenia celebraverit, ad quae illa numina invitarentur?



Æ

Amores non obstant, si recordemur eiusdem aetatis vasculorum imaginum, in quibus Amores conspiciuntur in conviviis mortalium versantes. Haec interpretatio confirmari videtur nummo quodam Antonini Pii, quem A. de Sallet vir doctissimus mihi commonstravit; cf. Fröhner *méd. de l'emp. Rom.* p. 58. Conspiciuntur enim complures homines Hercule praeside epulantes; a dextra et a laeva parte arbores sunt expressi. Denique huc referenda esse videntur: 'necrodipnon', quod Dumont (*inscr. et mon. fig. de la Thrace*, n. 105. *Rapport*, p. 23) describit et sarcophagi Florentini anaglyphum, Dütschke *ant. bildw. in Oberit.* II, n. 190.

— Amphictyonem apud Athenienses heroem esse cultum testatur Marm. Par. v. 9.

Quid tandem ex illis hospitiis mythicis lucramur? Primum, ut arbitror, discimus saepius usu venisse, ut origines sacrorum sive familiarum sive pagorum a deorum hospitiis deducerentur. Porro eos gentium maiores, apud quos deos devertisse fama esset, in heroum numerum receptos esse. Aliquotiens hospites aut ipsi deorum propinqui esse putantur aut in affinitatem deorum veniunt eo quod dei cum filiabus concubuerunt; qua re haud dubie factum est, ut posteri ex patriis deis orti esse sibi viderentur. Illi proavi, ut omnino propagatores religionis deorum suorum habebantur, ita praecipue sacra cuiusque familiae gentilicia instituisse videbantur. Sunt quorum ipsa nomina deorum amicitias significent, quippe quae modo ad naturam deorum spectent velut Oeneus Molorchus Trisaules Phytalus modo hospitium pronuntient velut Dexamenus Phanothea. Sunt denique gentes, quae propter magnam hospitalitatem mythicae proxeniae speciem ostendant. Haec omnia si reputaverimus, non mirabimur, quod Iovis Herculis Cereris xeniorum vestigia apparuerunt (Bacchi xenia, quae latissime patent, non iam licet attingere). Porro elucet horum numinum hospitia non esse secernenda a Dioscurorum hospitiis, quibus nostro iure, ut arbitror, usi sumus ad xenia et Theoxenia eorum accuratius cognoscenda.

Sed, ut haec mittamus, iam examinemus hospitium quoddam Aesculapii, quod summa est auctoritate et gravitate.

Legimus enim in Etym. magn. v. Δεξίων haec: οὕτως ὠνόμασται Σοφοκλῆς ὑπὸ Ἀθηναίων μετὰ τὴν τελευτήν· φασὶν ὅτι Ἀθηναῖοι τελευτήσαντι Σοφοκλεῖ, βουλόμενοι τιμὰς αὐτῷ περιποιῆσαι, ἡρῷον αὐτῷ κατασκευάσαντες, ὠνόμασαν Δεξίωνα, ἀπὸ τῆς τοῦ Ἀσκληπιοῦ δεξιώσεως· καὶ γὰρ ὑπεδέξατο τὸν θεὸν ἐν τῇ αὐτοῦ οἰκίᾳ καὶ βωμὸν ἱδρύσατο. ἐκ τῆς αἰτίας οὖν ταύτης Δεξίων ἐκλήθη. Post mortem igitur Sophoclis orta est fabula eum Aesculapium hospitio excepisse, et cum honoribus heroicis consecraretur, sacrum nomen ad illud hospitium spectans ei datum est [1]).

1) Heroum festa cum Aesculapii cultu arte coniuncta fuisse et tituli et anaglypha illa necrodipna exhibentia, quae Athenis Asclepiei

30, ubi una tantum filia memoratur, cui deus nebridem dono dat, id quod eodem spectat; aptissime igitur conferri potest cum illa Thespii filia, quam Hercules sacerdotem creavit. Cf. Welckerum l. c. p. 208 sq. et 225.

Amphictyon rex, qui, ut Philochorus (ap. Athen. II, 38 c.) tradit, a Baccho vinum miscere eruditus Διονύσῳ ὀρθῷ aram in templo Horarum dedicaverat, non solum Bacchum, sed alios quoque deos excepisse videtur; Paus. I, 2, 5: μετὰ δὲ τὸ τοῦ Διονύσου τέμενός ἐστιν οἴκημα ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ, βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτυὼν ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν καὶ Διόνυσον. In illa igitur aedicula sive anaglyphum alte expressum sive singulae figurae ex argilla factae compositaeque ad imaginis speciem conspiciebantur; atque talem fere repraesentationem mihi fingam, qualem anaglyphum Athenis servatum exhibet [1]). Illic enim in longo lecto accubant Hercules vir quidam Musae, e quibus una deperdita est. Adstant mensae et crateres cubantibusque ministrant Amores partim humi se tenentes partim in aëre inter arbores volitantes [2]).

1) L. de Sybel *catal. d. sculpt. 2. Abth.* n. 548. Heydemann *ant. marmorbildw.* n. 157. Conze *arch. ztg.* 1865, p. 118*, 2. ibid. 1871, p. 81 sqq. tab. XLIX. Pervanoglu *grabst.* p. 41, n. 18; *familienmahl*, p. 14, 2.

2) Conze hic mortuum in Elysio cum deis epulantem repraesentatum esse putat. Nonne ita potius interpretandum est, ut familia quaedam, quae Herculem et Musas colere soleret, avo consecrato xenia celebraverit, ad quae illa numina invitarentur? Amores non obstant, si recordemur eiusdem aetatis vasculorum imaginum, in quibus Amores conspiciuntur in conviviis mortalium versantes. Haec interpretatio confirmari videtur nummo quodam Antonini Pii, quem A. de Sallet vir doctissimus mihi commonstravit; cf. Fröhner *méd. de l'emp. Rom.* p. 58. Conspiciuntur enim complures homines Hercule praeside epulantes; a dextra et a laeva parte arbores sunt expressi. Denique huc referenda esse videntur: 'necrodipnon', quod Dumont (*inscr. et mon. fig. de la Thrace*, n. 105. *Rapport*, p. 23) describit et sarcophagi Florentini anaglyphum, Dütschke *ant. bildw. in Oberit.* II, n. 190.



Æ

— Amphictyonem apud Athenienses heroem esse cultum testatur Marm. Par. v. 9.

Quid tandem ex illis hospitiis mythicis lucramur? Primum, ut arbitror, discimus saepius usu venisse, ut origines sacrorum sive familiarum sive pagorum a deorum hospitiis deducerentur. Porro eos gentium maiores, apud quos deos devertisse fama esset, in heroum numerum receptos esse. Aliquotiens hospites aut ipsi deorum propinqui esse putantur aut in affinitatem deorum veniunt eo quod dei cum filiabus concubuerunt; qua re haud dubie factum est, ut posteri ex patriis deis orti esse sibi viderentur. Illi proavi, ut omnino propagatores religionis deorum suorum habebantur, ita praecipue sacra cuiusque familiae gentilicia instituisse videbantur. Sunt quorum ipsa nomina deorum amicitias significent, quippe quae modo ad naturam deorum spectent velut Oeneus Molorchus Trisaules Phytalus modo hospitium pronuntient velut Dexamenus Phanothea. Sunt denique gentes, quae propter magnam hospitalitatem mythicae proxeniae speciem ostendant. Haec omnia si reputaverimus, non mirabimur, quod Iovis Herculis Cereris xeniorum vestigia apparuerunt (Bacchi xenia, quae latissime patent, non iam licet attingere). Porro elucet horum numinum hospitia non esse secernenda a Dioscurorum hospitiis, quibus nostro iure, ut arbitror, usi sumus ad xenia et Theoxenia eorum accuratius cognoscenda.

Sed, ut haec mittamus, iam examinemus hospitium quoddam Aesculapii, quod summa est auctoritate et gravitate.

Legimus enim in Etym. magn. v. Δεξίων haec: οὕτως ὠνόμασται Σοφοκλῆς ὑπὸ Ἀθηναίων μετὰ τὴν τελευτήν· φασὶν ὅτι Ἀθηναῖοι τελευτήσαντι Σοφοκλεῖ, βουλόμενοι τιμὰς αὐτῷ περιποιῆσαι, ἡρῷον αὐτῷ κατασκευάσαντες, ὠνόμασαν Δεξίωνα, ἀπὸ τῆς τοῦ Ἀσκληπιοῦ δεξιώσεως· καὶ γὰρ ὑπεδέξατο τὸν θεὸν ἐν τῇ αὐτοῦ οἰκίᾳ καὶ βωμὸν ἱδρύσατο. ἐκ τῆς αἰτίας οὖν ταύτης Δεξίων ἐκλήθη. Post mortem igitur Sophoclis orta est fabula eum Aesculapium hospitio excepisse, et cum honoribus heroicis consecraretur, sacrum nomen ad illud hospitium spectans ei datum est [1]).

1) Heroum festa cum Aesculapii cultu arte coniuncta fuisse et tituli et anaglypha illa necrodipna exhibentia, quae Athenis Asclepiei

De eodem hospitio refert Plutarchus Num. IV, 16: Σοφοκλεῖ δὲ καὶ ζῶντι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπιξενωθῆναι λόγος ἐστὶ πολλὰ μέχρι δεῦρο διασώζων τεκμήρια. Cf. etiam Philostr. iun. imagg. 13. Itaque Sophocles apud Plutarchum

---

effossione in lucem prodierunt, clarissime demonstrant. Cf. Koehlerum *Mitth. d. ath. inst.* 1877, p. 245 sq.

Hoc loco liceat commemorare anaglyphum Graecum Parisiis (*cab. des méd.*) servatum, quod nuper edidit Conze *sitzungsber. d. wien. ak.* XCVIII, 2, p. 551 sqq. Imaginem ad gypsum musei Berolinensis breviter describam. Alt. 0,18. lat. 0,29. Dextra vir barbatus in lecto cubat; seminudus est, caput calatho opertum. Dextram manum tollit ex rhyto vinum fundens in pateram, quam laeva manu tenet. Ad lectum adposita est mensa, in qua turibulum et placentae conspicua sunt. In sinistra parte lecti sedet dextroversum femina chitone et himatio vestita; laeva manu tenet cistulam, dextra granum turis depositura est in illo turibulo. Iuxta mensam vides puerum nudum; dextram mergit in magnum craterem tamquam vinum depromens. Sinistram tabulae partem obtinent ex adverso stantes vir barbatus et femina, quorum facies iam veterum aetate consulto resectae sunt. Vir pallio ita indutus est, ut pectus dextrumque bracchium nuda remaneant, magna autem vestimenti pars de laevo humero et bracchio dependeat. Laevum bracchium lateri innititur. Dextra ala sustinetur longo baculo, ad quod dextra manus leviter adposita est. Inferiore baculi parte se circumvolvit serpens. Altera persona est femina. Chitone induta est et himatio, quod a tergo quasi rica sublatum est ita, ut caput partim operiatur. Dextra manu superiorem himatii partem protendit. Figurae negligenter quidem exsculptae sunt, tamen, ne anaglyphum inferiori aetati attribuamus, cavendum videtur. — Si quis imaginem etiamsi strictim adspexerit, videbit utrosque coniuges — nam ita personae intellegendae sunt — nullo alio vinculo inter se contineri nisi spatii; nam in dextra parte conspicimus vulgare illud 'necrodipnon', in quo vir sub forma Plutonis consecratus apparet, in laeva anaglyphi parte ex adverso se offerunt duae figurae, quae neque ipsae neque cum alteris coniugibus quidquam agunt. Vir Aesculapii speciem prae se fert et baculo serpente circumvoluto et toto habitu et gestu; ac fieri potest, ut femina sit Hygiea, quamquam mihi quidem ampla illa rica gravissimam dubitationem movet. Contra non possum, quin hunc feminae habitum cum feminis, quae in necrodipnis et sexcentis aliis monumentis sepulcralibus conspiciantur, conferam. Sed quid multa? Nemo unquam artifex deos iuxta homines mortuos adstantes in hunc modum inauditum sane finxit. Ac si reputemus illa necrodipna, in quibus

n. p. s. v. 22 recte ponitur iuxta Phormionem[1]) Spartiatam: — — ἢ Φορμίων τοὺς Διοσκούρους, ἢ τὸν Ἀσκληπιὸν Σοφοκλῆς ξενίζειν αὐτός τε πειθόμενος καὶ τῶν ἄλλων οὕτως ἐχόντων διὰ τὴν γενομένην ἐπιφάνειαν. Neque nos quidem dubitabimus Sophoclis hospitium eadem ratione explicare, quam de hospitiis Dioscurorum aliorumque deorum disserentes indagavimus. Necesse enim est Sophoclem Aesculapio xenia pro sacris gentiliciis vel domesticis agere solitum esse, sive quod ea sacra a maioribus tradita essent sive quod ipse primus instituerit.

Nam in universum constat Aesculapium inter eos deos esse, qui lectisterniis et mensis cibis instructis colerentur. Id probant duo tituli saec. II., qui Athenis ad theatrum Bacchi effossi sunt; C. I. A. II, 1, p. 418 nr. 453 b; p. 419 nr. 453 c. Laudantur enim sacerdotes Aesculapii, quia de deo bene meruerint, ac bis legimus: ἔστρω]σεν δὲ καὶ τὰς κλ[ίνας .... τῶν θυσι]ῶν ἐπιφανῶς[2]). Inde edocemur, cui usui fuerit lectus ille, quem Pausanias (X, 32, 8) in Phociorum templo Aesculapii vidit iuxta dei signum positum.

Repraesentatum est huius dei lectisternium in nummo Bizyeno Philippo imperante edito; cf. *Catal. of greek coins, Thrace* p. 90[3]). '*Asclepios reclining l. on couch, and placing*

---

praeter cubantem heroem alter heros sub equitis forma exsculptus est, non dubitabimus eandem rationem hic adhibere. Alter enim mortuus consecratione ad Plutonem, id quod usitatissimum erat, applicatus est, alter — pater aut avus illius — ad Aesculapium.


1) Quid nomina Εὐφορίων et Φορμίων significent, non intellego, tamen stirpem φερ utrique inesse in propatulo est. Παμφάης optime naturae Dioscurorum convenit.

2) Girard *bull. d. corr. hell.* II, p. 80 not. 3 miram protulit explicationem: '*c'était le devoir des prêtres de préparer des lits pour les malades*'.

3) Denuo edidit nummum A. de Sallet *zeitschr. f. numism.* V, p. 327 sqq. Idem v. d. p. 324 docuit nummum, quam Gori in *Mus. Flor.* tab. LXXVII E male delineatum dedit, haud dubie eandem imaginem habuisse; praeterea adfert (p. 325) similem nummum Thyatirenorum apud Sestinium *descriz. delle medagl. Benkowitz* tab. I, 13; nuperrime denique (*ztschr. f. num.* IX, p. 168 sq.) tertium huius generis nummum Pergamenorum addidit.

his r. on the schoulder of Hygieia, who is seated on the edge of the couch, in front of him; beneath Asklepios a tripod', — mensa tripes est; — '*beneath Hygieia, a staff with serpent twined round it. On the left of the central group, a tree, on which hangs a cuirass, and beneath which stands a man clad in short chiton, an placing his r. hand in amphora; on the right of group, the fore-part of a horse advancing l; above group a round shield'*. Habitu Hygieae motuque Aesculapii suspicio movetur cum hoc lectisternio 'ἱερὸν γάμον' deorum coniunctum fuisse. Neque causa, cur id lectisternium institutum sit, latet. Ex thorace enim et clipeo suspensis, quae deis dedicata habenda sunt (cf. Paus. VIII, 28, 1), colligemus Philippum propter victoriam reportatam illud lectisternium celebrasse (v. supr. p. 7 c. not. 2). Cf. Salletium l. c. p. 328 et Weilium *zeitschr. f. numism.* VIII, p. 103 sq. [1]).

Porro quanti momenti fuerit mensa, quae in fano dei posita erat, nemo ignorat, qui Aristophanis 'Plutum' legerit (cf. v. 676 sqq. et schol. ad v. 678). Huc adde sis decretum honorarium in C. I. A. II, 1, n. 373b, p. 462 sq. v. 18: ἔθυσεν — — — τῷ θεῷ καὶ τὴν τράπεζαν ἐκό[σμησεν καλῶς καὶ φιλοτί]μως. Denique adferenda est mensa quaedam e calce facta, quae Heraeae Achaiae invenitur. In fronte exaratus est titulus, quem Adolphus Furtwängler vir doctissimus e schedis suis benigne mihi suppeditavit [2]):



Τίμαρχις Ἀσκλαπιοῦ παισὶν ἀνέθηκε.

---

1) De equo nihil pro certo statuam; fieri potest, ut Aesculapio dono datum sit, sed licet de symbolo quoque cogitare (cf. Klausenum *Aeneas*, I, p. 129 sq.), ne de hostia mactata verbum dicam (cf. Prellerum *gr. mythol.* I, p. 427 extr. c. not. 1 p. 428). — Obiter moneo nec Salletium nec Weilium id quod ex illis nummis effecisse sibi visi sunt, mihi probasse; cf. Milchhoeferum *Mitth. d. ath. inst.* 1879, p. 164 not. 1.

2) Titulum Martha quoque enotavit (*bull. d. corr. hell.* 1879, p. 190 sq.), sed monumenti naturam non intellexit. — Plura attulit Girard *bull. d corr. hell.* II, p. 76 sq.

Patet igitur Aesculapium lectis sternendis et mensis exornandis cultum esse. Quare nihil obstat quominus putemus Sophoclem quoque talia xenia deo instituisse. In hanc sententiam quadrat quod in Etym. magn. legimus: καὶ βωμὸν ἱδρύσατο (sc. τῷ θεῷ). Praeterea scimus Sophoclem sacerdotem fuisse Alconis herois cuiusdam medici, de quo vitae scriptor: ὃς ἥρως ἦν μετὰ Ἀσκληπιοῦ παρὰ Χείρωνι. Ac quis ad tale sacerdotium administrandum magis idoneus inveniri potuit, quam is, qui Aesculapium ut θεὸν πατρῷον haberet?

Iam si reputamus Sophoclem in universum pietate erga deos excelluisse [1]), non latet causa cur post mortem heros factus sit; porro, quoniam verisimile redditum est eum Aesculapium coluisse xeniis i. e. eis sacris, quibuscum deorum epiphaniae saepissime coniunctae essent, prorsus, opinor, in propatulo est, quomodo orta sit fama Aesculapium apud eum in hospitium venisse [2]). Atque consentaneum est nomen divinum, quod ei per consecrationem datum est, ad famam illam spectare, qua pietas viri praeclarissime perspicua fiat.

---

1) Soph. vit. § 6. γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος, καθά φησιν Ἱερώνυμος περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης. ταύτης γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπείσης κατ' ὄναρ Ἡρακλῆς ἐδήλωσε Σοφοκλεῖ, λέγων τὴν μὴ οἰκοῦσαν οἰκίαν ἐν δεξιᾷ εἰσιόντι ἐρευνῆσαι, ἔνθα ἐκέκρυπτο. ἐμήνυσε δ' αὐτὴν τῷ δήμῳ καὶ τάλαντον ἐδέξατο· τοῦτο γὰρ ἦν προκηρυχθέν. λαβὼν οὖν τὸ τάλαντον ἱερὸν ἱδρύσατο Μηνυτοῦ Ἡρακλέους.

2) Theod. Bergk in edit. Soph. p. XX famam inde ortam esse existimat, quod Sophocles in honorem Aesculapii paeanem scripserat, id quod mihi omni verisimilitudine carere videtur. — Fragmentum huius paeanis lapidi inscriptum nunc repertum est; cf. Ἀθην. V, p. 540. *rh. mus.* XXXIII p. 318.

Cap. III.

De anaglyphis, quae Bacchum visitantem Icarium exhibere dicuntur.

Bacchi hospitia late patuisse iam demonstratum est; cognovimus enim hospites dei Icarium Semachum Amphictyonem Oeneum Molorchum (?cf. p. 31 not. 1). Inde suspicio movetur Bacchum quoque xeniis, quae appellavimus, apud Graecos cultum esse. Ac videbis hanc rem cum scriptorum testimoniis luculentissimis tum sat multis vasculorum picturis probari.

E quibus duae aperte testantur Graecos Baccho lectisternia paravisse. Alteram invenies aere incisam inter Hamiltonii vasa, quae Tischbein delineavit in '*Collection of engravings from ancient vases of greek workmanship, discovered in sepulchres in the kingdom of the two Siciles, but chiefly in the neighbourhood of Naples during the course of the years 1789 and 1790*, II, tab. 56. Iterum delineatam dederunt Müller et Wieseler *D. A. K.* II, tab. 49, 617. Cf. Heydemannum *arch. ztg.* 1872, p. 35 sq. Vtrum hoc vasculum una cum aliis Hamiltonii copiis calamitoso illo naufragio deperditum sit, an etiamnunc alicubi in Anglia adservetur, non habeo compertum. Itaque Tischbeinii contenti esse debemus delineatione, cui, cum ceteras huius artificis delineationes vasculorum recognoverim, in universum fidem habeo. Nihilominus, quia fieri potest, ut vasculum fuerit fractum aut alio modo corruptum, cavebo, ne ex singulis delineationis lineamentis nimium efficere mihi videar.

De forma vasculi nihil constat. Figurarum delineatio talis est, qualem saec. IV. attribuere consuevimus. Conspicimus lectum admodum altum stragulo virgato fimbriatoque opertum ac duobus pulvinis instructum. Utrimque adstant singulae figurae inter se adversae: laeva in gradu quodam[1])

1) Veteres utebantur et humilioribus et altioribus lectis. Ad hos, cum ascensuri erant, apponebant scabella; cf. Ov. a. a. II, 211.

vir barbatus caput hederae foliis baccisque redimitum; vestitus est chitone ornamentis distincto[1]). Dextra manus nititur coxa; laevam paulo tollit eo modo, ut aliquid accepturus esse videatur[2]) a femina, quam dextra in duplici gradu stantem vides. Dextra enim manu viro offert rem quandam rotundam (pateram?), in qua posita est res ovata. Alterum brachium ad latus dependet. Capillos habet recisos, quibus folia intexta sunt. Induta est longo chitone succincto, cuius margines acu picti sunt; collum monili baccato, brachia armillis ornata sunt. Sub lecto artifex duos Satyros barbatos pinxit; non invenuste inter fulcra in pellibus ita cubant, ut is, qui laeva conspiciatur, sinistrorsum sedens pectus humerosque adversos ostendat, caput autem in dextram vertat, socius contra, cuius genua palliolo tecta sunt, dextrorsum cubans et retro respiciens a tergo videatur. Vtriusque caput hedera redimitum est. Alter secum habet vas vinarium (πίθον), cui laevum brachium imponit; alter se acclinat in utrem.

Lectisternium hic esse repraesentatum ultro perspicitur. Neque multis exponere opus est lectum Baccho et Ariadnae paratum esse. Duos enim deos exspectari, duo illi pulvini docent. Atque sua loca iam obtinent Satyri, Bacchi ministri et comites[3]), qui satis magnam copiam vini sibi comparaverunt. Adsunt dei quoque, sed ut Dioscuri supra lectum erant conspicui (cf. p. 5 sq.), ita Bacchus et Ariadne lectum non iam

1) Circa talos lineolae ita pictae apparent, ut credere possis, virum artis bracis indutum esse. Sed quia in cruribus nulla bracarum vestigia conspicua sunt, veri similius est illas lineolas aut omnino non adfuisse aut a Tischbeinio non recte esse intellectas.

2) Sed ne nimium huic brachii motui tribuamus, moneo artificem eum gestum quasi in penicillo habuisse, quippe qui eundem exhibuerit in laevis brachiis feminae et alterius Satyri pingendis. Similiter altera brachia eleganter dependentia monstrant figurae, quae in lecythis albis et in vasibus elegantioris artis pictae sunt.

3) Conferri potest mos quidam Persarum, de quo vide Heraclidem Cumaeum ap. Athen. IV, 145 c: καὶ ὅταν εἰσέλθωσι (sc. οἱ συμπόται), συμπίνουσι μετ' αὐτοῦ (sc. τοῦ βασιλέως) οὐ τὸν αὐτὸν οἶνον κἀκεῖνοι· καὶ οἱ μὲν χαμαὶ καθήμενοι, ὁ δ' ἐπὶ κλίνης χρυσόποδος κατακείμενος. Adde Posidonium ap. Athen. IV, 152 f. sq.

ascenderunt, sed utrimque in scabellis stant. Quale momentum artifex repraesentare voluerit, non audeam decernere. Attamen quoniam Ariadne pomum aut placentam aut simile quid protendit, nemo non recordatur caerimoniarum nuptialium, quae apud Graecos in usu erant. Cf. Hermanni et Starkii *privatalterth.* § 31, 28, 29.

Wieseler (*satyrspiel*, p. 133 not. 1. *D. A. K.* l. c.) et Heydemann figuras, quae in gradibus stant, non deos sed sacerdotes Bacchi esse existimant. Quorum ille, quamquam concedit neminem non primo adspectu de Baccho et Ariadna cogitaturum esse, tamen, quia Bacchus nusquam bracis indutus inveniatur, illum virum Bacchum esse posse negat. Sed haec difficultas iam supra a nobis sublata est [1]).

Sed iam adspice, quaeso, Satyros, qui dolio et utre instructi sunt, nullis autem poculis. Conferenda est alii vasculi imago, quae apud Millinium *peint. d. vases,* II, tab. 65, delineata est (*D. A. K.* II, tab. 40, 478): Duo Satyri barbati, quorum capita et corpora hederaceis et laureis sertis redimita sunt, inter se adversi sedent. Alter ambabus manibus dolium hederatum complectitur potaturus, alter utrem item hedera ornatum. Intentis oculis alter alterum adspicit, ut non dubium sit, quin certamen bibendi acturi signum incipiendi exspectent. Hac igitur repraesentatione illustratur ille Anthesteriorum mos, de quo Aristophanes (Ach. 1000 sqq.):

κατὰ τὰ πάτρια τοὺς χόας
πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος· ὃς δ' ἂν ἐκπίῃ
πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.

cf. A. Mommsenum *heortol.* p. 360 sqq. Nimirum Satyri ut ebriosi non χόας usurpant sed ipsa vasa promptuaria. Serta quoque hederata egregie conveniunt Anthesteriis; cf. proverbium: κισσὸς μετ' Ἀνθεστήρια, Paroemiogr. ed. E. de Leutsch, Apost. IX, 77 a.

Nonne putas artificem vasculi Hamiltonii idem festum in mente habuisse, cum duos illos Satyros hedera coronatos et

1) Bacchum eodem fere habitu expressum invenies in vasculo, quod Tischbein l. c. vol. III, tab. 19 delineavit, = *D. A. K.* II, tab. 48, 603.

utre dolioque instructos pingeret? Ego quidem sine ulla dubitatione primo editori adstipulor, qui de Chois cogitabat, quod suum uterque Satyrus promptuarium vas secum haberet. Accedit aliud. Vidimus enim lectisternium hac imagine expressum non tam ad epulum quam ad ἱερὸν γάμον Bacchi et Ariadnae spectare. Atque eam caerimoniam Anthesteriorum partem fuisse notum est; cf. Mommsenum l. c. p. 357 sqq. Quomodo haec caerimonia acta sit, non traditur, sed si reputamus archontis regis uxorem cum simulacro dei in templo coniunctam esse matrimonio, facere non possumus, quin suspicemur lectum coniugalem aliquo modo adhibitum esse.

Hanc nostram ratiocinationem una re infringi posse dixeris. Neque enim pro certo constat vasculum Athenis esse fabricatum; nam primum, si titulo operis Tischbeinii credere licet, effossum est in Campania, deinde, quoniam Tischbein suo ingenio aliquantulum indulsit in delineando, ex ipsa pictura decerni nequit, utrum Atheniensis an Italus fuerit artifex. Sed etiamsi imago in Campania picta sit, minime credi potest Italicam caerimoniam repraesentatam esse. Veri similius mihi videtur picturam pendere e talibus vasculis Atticis, qualis illa lecythus Dioscurorum lectisternium exhibens.

Quae cum ita sint, peropportune accidit, ut alterum vasculum, de quo nunc erit agendum patriam Atticam, aetatem saeculum quintum prae se ferat.

Monachi adservatur [1]). Hydria est, cuius venter circumdatus est imagine, quae longam hominum seriem ostendit. In media imagine sedet in rupe vir barbatus ex adverso, sinistrorsum conspiciens. Himatio ita indutus est, ut dextrum pectus nudum remaneat, pars autem vestimenti laevum humerum et brachium operiat [2]). Dextra manu tenet sceptrum,

1) De Witte *cat. étr.* 154 (Lenormant). R. Rochette *mém. d'arch. comp.* I p. 257 sq. Panofka, *arch. ztg.* 1847, p. 19*; ib. 1852, p. 226*. Interpretationes horum vv. dd. tam ineptae sunt, ut refutatione supersedere liceat. O. Iahn *arch. beitr.* p. 373 sqq. tab. XI, *vasensammlg.* n. 238, interpretando abstinuit.

2) Is habitus est virorum, qui res divinas faciant; cf. E. Curtium *arch. ztg.* 1867, p. 92.

laeva, quae ex himatio prominet, imperantis esse videtur. A sinistra parte collocatus est humilis lectus, qui, cum obliquus conspiciatur, haud ita clare expressus est; distinguuntur tamen duo latera et duo pulvini. Hydria magna posita est ante lectum. Post lectum femina ad laevam respiciens dextrorsum properat. Vestita est chitone duplici dorico cum haec tum ceterae huius imaginis puellae; manibus tenet magnum flabellum. Porro appropinquat mulier dextra manu duas pateras laeva utrem gestans in capite positum. Secuntur duae mulieres, quarum altera alteri obviam it; ea, quae dextrorsum progreditur ambabus manibus adportat cistam quandam[1]), quam altera acceptura est. Denique vides quintam huius seriei feminam sinistrorsum currentem et retro respicientem; dextram manum navis prorae, quae iuxta ansam vasculi conspicitur, adponit quasi navem ascensura. Ab altera parte ansae tres feminas conspicimus. Media, quae statura et gestu dignitatem quandam et maiestatem ostendit, adversa expressa est. Videtur aliquid imperare parvulae feminae, quae laeva ad lectum properans obvia est. Tertia mulier advenit cistam quadratam manibus portans.

Depictae sunt igitur septem mulieres, quae viro et femina imperantibus ex navi ad lectum, qui in litore collocatus est varia instrumenta adportant: utrem pateras cista flabellum[2]), totum ut vides lectisternii apparatum. Cui usui sint cistae, dubitari quidem potest, tamen nostro iure opinabimur, alteram cistam — si modo cista est (v. supr.) — tus continere, alteram aut reliqua sacrificii instrumenta (cf. Ar. pac. 948 c. schol.)[3]), aut ipsum signum dei. Notum enim est simulacra perantiqua et sacra vel in cadis[4]) vel in cistis[5]) inclusa conservata esse.

---

1) Verum etiam de parva mensa cogitare licet; cf. *Mon. e ann. d. Inst.* 1856, tab. XXVIII et XXIX. Adde Gerhard *ant. bildw.* tab. LXXV, 1.

2) Meministi illud flabellum, quod in Dioscurorum lecto positum reperimus; cf. supr. p. 5.

3) In anaglyphis, quae hominum adorantium agmina exhibent saepissime occurrit mulier, quae magnam cistam rotundam in capite fert.

4) Cf. Athen. XI, 473 b. Hes. v. καδίσκος. Petersen *hausgottesdienst*, p. 53.

5) Hoc modo sacra patria auferens Anchises conspicitur in

Summa igitur repraesentationis haec est. Navem alicubi appulit rex quidam comitatus uxore et septem ancillis vel filiabus. Secum habent simulacrum nescio cuius dei. Cui in litore lecto strato cibos vinumque apponunt non aliter ac vivo homini longo itinere fatigato fameque presso.

Itaque hic fere idem usu venit atque in Rhodo, ubi Dioscuri olim hospitio et lectisternio excepti sunt. Procul dubio artifex certam fabulam repraesentare voluit. Quae tamen qualis fuerit, ego quidem investigare non potui.

Sed quaeris, cur hoc vasculum disputationi de Bacchi xeniis interposuerim. Scio equidem luculenta vestigia ad illum deum spectantia non adesse. Nihilominus, quoniam conspicimus utrem illum vino repletum, non sine causa, ut arbitror, censebimus Baccho hoc lectisternium parari.

Restat, ut quaedam vascula rubris figuris depicta examinemus, in quibus sacra Bacchica lectisterniis simillima exhibita sunt. Argumentum, quod haec vascula magis minusve copiose pictum ostendunt ita fere summatim describi potest. In medio posita est columna, in cuius superiore parte persona sive oscillum Bacchi barbati suspensum est; supra hederae rami adligati sunt. Infra personam columna circumdata est longis vestimentis, ut fere speciem prisci simulacri habeamus (cf. Bötticherum *baumkultus* p. 229 sqq.)[1]). Ante id simulacrum mensa posita est duabus ollis (στάμνοις) et placentis variae formae instructa. Prope mensam feminae plerumque bacchantes in mensa exornanda occupatae sunt: aliae placentas apportant aliae vinum ex ollis hauriunt aliae tibiis canunt aliae denique thyrsos taedasve vibrant.

Ex officinis Atticis prodierunt:

A. Olla. Parisiis. *Cataloghi del Mus. Camp.* I, *sala* A, n. 70. O. Iahn *ann. d. Inst.* 1862, p. 67 sqq. *Mon. d. Inst.* VI. VII, tab. 65.

---

tabula Iliaca; Iahn-Michaelis *griech. bilderchron.* p. 35. Cistam Bacchi signum continens Eurypylus Troia capta praedae partem accepit; cf. Paus. VII, 19, 6 sqq.

1) Similia monumenta e marmore facta etiamnunc exstant. Cf. Schreiberum, *ant. bildw. der villa Ludovisi* no. 18. — Columnae loco xoanon Bacchi ostendunt vascula E H M (v. infr.).

B. Olla. Londinii, in thesauris Rogerianis. Panofka *abh. d. berl. ak.* 1852 tab. II, 1 et 1 a.

C. Olla. Wirzeburgii. Vrlichs *verz. d. antikensmlg. z. Wrzbg.* 1872, 3, n. 323.

D. Olla. Florentiae. Panofka *arch. ztg.* 1847, p. 19* sq. Heydemann *bull.* 1870, p. 181, 2.

E. Olla. Mus. Brit. 743. Panofka *abh. d. berl. ak.* l. c. tab. II, 3 et 3 a.

F. Olla. Capuae. Minervini *mon. ined. in poss. da Barone* tab. VII. Panofka, l. c. tab. II, 2 et 2 a.

Haec vascula, quae ab utraque parte ternas figuras ostendunt, omnia ad unum exemplum facta sunt, a quo E ut ab artifice praestantiore facta (*'of finest greek style'*, Birch) paullulum, F, ubi mensa plane deest, longius recedit.

G. Olla. Nuceriae effossa. Neapoli n. 2419. *Mus. Borb.* XII, tabb. 21—23. Inghirami *v. f.* tab. 317 sq. Panofka l. c. tab. I, 1, 2. *D. A. K.* II, tab. 46, 583. Explicatores collegit Heydemann *Mus. naz.* n. 2419. — Pictura est praestantissima; exemplum libero modo variatum.

H. Patera Hieronis. Volcis effossa. Berolini. Gerhard *trinksch. u. gef.* tabb. IV, V. Benndorf *vorlegebl.* ser. A, tab. IV. Brunn *K. G.* II. p. 694 sq. — Ante simulacrum ara posita est; mensa deest. Artifex traditum exemplum et suo Marti variavit et ad formam vasculi accomodavit.

Artificium Appulum prae se ferunt:

I. Crater formae posterioris. In Italia effossus. Petropoli n. 1728. O. Iahn *ann. d. Inst.* 1857, p. 123 sqq. *M. d. Inst.* VI, tab. 6 b.

K. Crater. In Magna Graecia effossus. Neapoli n. 3237. Millingen *peint. d. vas.* I, tab. 2. Inghirami *v. f.* 55. 56. Zoega *abhandlungen*, tab. II, 4. 5. *D. A. K.* II, 38, 442. Explicc. coll. Heydemann.

L. In collo amphorae. Iatta n. 1097. *Bull. Nap.* V, tab. 13.

In his vasculis non simulacrum Bacchi, sed deus ipse conspicitur iuvenili habitu expressus. Sedet, ut solet, molliter, manu gestans thyrsum aut hederam. Ante eum posita est aut mensa (I), aut cista (K), aut magnus crater (I K L), in quem una e Bacchis vinum libat. Adsunt praeter Bacchas Papposilenus et Satyri.

Hanc novam repraesentationem cum illo priore exemplo consociavit artifex vasculi

M. Amphora. Neapoli n. 2411. O. Iahn *ann. d. Inst.* 1860, p. 1 sqq. *Mon. d. Inst.* VI. VII, tabb. 37 sq. Explicc. coll. Heydemann.

Duo enim ordines hominum picti sunt. Superior easdem fere figuras continet atque K, inferior proxime abest ab exemplo Attico. Vides aram et prope aram mensam, in qua οἰνοχόη posita est. Post aram Bacchi barbati simulacrum conspicitur. Baccha ad aram stans capram immolatura est. Altera Baccha a dextra adveniens catinum placentis onustum in mensa ponit. A laeva parte duae Bacchae saltant [1]).

Iam quaeritur, quodnam festum illae vasorum imagines illustrare velint. In hac quaestione instituenda maxime nitimur vasibus Atticis A—G, quae eidem serviisse caerimoniae, quam ipsa ostendant, vel ex forma verisimile fit. Repraesentant enim ea sacra, in quibus enucleandis tota nostra disputatio versatur. Nam hic quoque ad simulacrum dei apposita est mensa cibis vinoque ornata; ac, si adspexeris A B C D G, ubi mulieres ex ollis sacris vinum sibi promunt, facile in opinionem adduceris homines illis festis diebus quodammodo cum deo potare sibi visos esse.

Viri docti hos ritus ad Anthesteria rettulerunt (Iahn *ann. d. Inst.* 1860, p. 9; 1862, p. 72 sqq. Vrlichs *verz. d. antikensmmlg. zu Wrzbg.* 1872, 3, n. 323). Fortasse recte. Nam concedendum est xenia nostra cum hoc festo egregie convenire; conferas, quae A. Mommsen *heortol.* p. 345—373 de Anthe-

---

1) Possum adferre pauca vascula picta, quae idem argumentum paulo oblitteratum monstrant, velut Iatta *vasi Caputi* n. 328, tab VI, quod exemplum Atticum sequitur. *Catal. Camp.* I, sal. A, n 244; Panofka, *mus. Blacas*, tab. VIII; *ann. d. Inst.* 1862. tab. C. — Etiam alia monumentorum genera similia offerunt, cf. e. g. anaglyphum apud Gerhardum *Neapels ant. bildw.* n. 426 et sarcophagum in *Mon. d. Inst.* III, tab. 18. Picturas Pompeianas omitto.

steriis disseruit. Atque necesse est artificem Atheniensem, qui primus illam repraesentationem condiderit, res sacras Atticas effingere voluisse. Optimam autem explicationem praebet Phanodemus ap. Athen. XI, 465 a.: Φανόδημος δὲ πρὸς τῷ ἱερῷ φησι τοῦ ἐν Λίμναις Διονύσου τὸ γλεῦκος φέροντας τοὺς Ἀθηναίους ἐκ τῶν πίθων τῷ θεῷ κιρνάναι, εἶθ' αὐτοῖς προσφέρεσθαι. Vtrum haec verba ad Anthesteria spectent necne (Mommsen l. c. p. 362 not. **), in medio relinquam. Putaverim autem eius generis xenia Bacchi latius patuisse. Similia enim etiam alibi inveniuntur. Cf. de 'Thyiis' Eleorum Paus. VI, 26, 1 sq.: θεῶν δὲ ἐν τοῖς μάλιστα Διόνυσον σέβουσιν Ἠλεῖοι, καὶ τὸν θεόν σφισιν ἐπιφοιτᾶν ἐς τῶν Θυίων τὴν ἑορτὴν λέγουσιν [1]. — — λέβητας δὲ ἀριθμὸν τρεῖς ἐς οἴκημα ἐςκομίσαντες οἱ ἱερεῖς κατατίθενται κενούς, — —. ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν — ἐςελθόντες ἐς τὸ οἴκημα εὑρίσκουσιν οἴνου πεπλησμένους τοὺς λέβητας. Ibidem de Andriis: λέγουσι δὲ καὶ Ἄνδριοι παρὰ ἔτος σφίσιν ἐς τοῦ Διονύσου τὴν ἑορτὴν ῥεῖν οἶνον αὐτόματον ἐκ τοῦ ἱεροῦ. Pellenensium Λαμπτήρια Pausanias ita describit, VII, 27, 3: δᾳδάς τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζουσιν ἐν νυκτί, καὶ οἴνου κρατῆρας ἱστᾶσιν ἀνὰ τὴν πόλιν πᾶσαν. Vel maxime autem memoratu digna sunt Cretensium Θεοδαίσια (cf. C. I. G. II, 2554). Cf. Hes. v. Θεοδαίσιος· Διόνυσος [2]. Cuius festi nomen aptissime cum 'Θεοξένια' conferri potest,

---

1) Plut. quaest. Graec. 36, 7: Διὰ τί τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Ἠλείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγίγνεσθαι πρὸς αὐτάς· ἔχει δ' οὕτως ὁ ὕμνος·

Ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε,
Ἀλείων ἐς ναόν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν,
ἐς ναόν
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.
ἄξιε ταῦρε,
ἄξιε ταῦρε.

Cf. Bergki P. L. G. p. 1299, n. 6. — Nonne haec invitatio egregie convenit cum Theoxeniorum et xeniorum natura?

2) Itemque homines ex illo festo nomina acceperunt: Θεόδαισις, Pape-Benseler s. v; Θεοδαίτης Mionn. Suppl. VI, 7.

quod suo iure fecit Schoemann *gr. alterth.* II, p. 441. Nam luce clarius est Θεοδαίσια esse 'δαῖτας θεοῦ' plane eodem modo, ut Θεοξένια ξένια (= ξενισμός) θεοῦ [1]. Cf. Hes. v. ἠρόχια· τὰ θεοδαίσια. οἱ δὲ ἑορτήν· οἱ δὲ ἱερά. Vocabulum ἠρόχια [2]) alibi non invenitur, sed non dubito, quin conferendum sit cum ὀχή = τροφή, cf. Ath. VIII, 363 b. Steph. B. v. Κάρυστος· — — οἱ γὰρ Ἀχαιοὶ τὴν τροφὴν ὀχήν φασιν. Cf. παρόχη (Et. M. v. εὐωχία· — ἡ παροχή, ὅτι πολλὴ ὀχὴ πρόκειται). Ac nescio an prima pars sit ἥρως. — Etiam Cyrenis Θεοδαίσια celebrabantur; cf. Hes. v. Ἀστυδρομία· — — καὶ Θεοδαίσια ἑορτή, ἐν ᾗ ἐτίμων Διόνυσον καὶ τὰς Νύμφας.

Apparet in omnibus his festis aut deum hominibus quodammodo potionem et cibum dedisse, aut homines deo epulum parasse, unde efficitur ea festa Bacchica prorsus eandem naturam et rationem habuisse atque Apollinis Theoxenia, quae Delphis celebrabantur, xeniaque ceterorum deorum Iovis Dioscurorum Herculis Aesculapii.

In plerisque museis publicis servantur quaedam anaglypha, quae tanta inter se continentur similitudine, ut fere omnia ad unum exemplum fidelissime exsculpta esse videantur. Videmus virum imberbem et feminam cubantes in lecto, ad quem mensa cibis et poculis exornata apposita est. Vir dextram tollit salutans Bacchum, qui a dextra parte advenit comitatus Satyris Sileno Baccha. Deus expressus est eo habitu, qui proxime abest ab illa Bacchi barbati statua, quae olim Sardanapalus vocabatur; ei ministrant duo Satyrisci: alter magistrum vino gravem bracchiis elatis sublevat, alter pedes excalceat. Post homines cubantes murus conspicitur, ad quem parapetasma adnexum est; post murum vides aedificia, plerumque sertis redimita.

---

1) Egregie fallitur Welcker *gr. götterl.* II, p. 635 sq. Sentit enim in Theodaesiis dei corpus mystico modo ab hominibus comesum esse.

2) Welcker l. c. I, p. 364 mire vertit ,*'Herasprung'*', unde suspicatur festum ad ἱερὸν γάμον Iovis et Iunonis spectare.

Argumentum harum imaginum in controversiam vocari non potest: Bacchus cum thiaso suo apud quendam hominem devertit atque iam, ut videmus, accubiturus est in summo lecto. Id iam viderunt vv. dd., qui primi haec monumenta tractaverunt: Zoega '*Det Kongelige danske videnskabers selskabs skrifter*'. Kbhvn. 1800. p. 302 sqq. = *Abhandlungen* p. 79, et Visconti *Mus. PCl.* IV, p. 174 sqq. et *Opere varie* IV, p. 400. Certam autem fabulam repraesentatam esse voluit Visconti in *Mus. Nap.* II, p. 22, proposuitque vulgarem illam interpretationem: Bacchi apud Icarium hospitium. Adsensi sunt Carolus Combe (*anc. marbles*, II, ad tab. 4) Welcker (ad Zoega *abh.* p. 372 sqq.) O. Müller (*hdb.* § 383, 4) alii (cf. O. Iahn *arch. beitr.* p. 203 not. 10). Pauci aliter senserunt velut Gerhard (*beschr. Roms*, II, 2, p. 98 sq.), Osann (*verh. d. VI. Phil. vers.* p. 21). Quos secutus O. Iahn '*die einkehr des Dionysos bei Ikarios*', *arch. beitr.* p. 198—211, omnia eius generis anaglypha, quae tum innotuerant, collegit pleniusque examinavit. Hic v. d., qua erat sagacitate ingenii, post Viscontium longe plurimum in hac quaestione profecit multaque coniciendo perspexit, quae nunc luculentissimis testimoniis confirmata sunt.

Ac pro sua aetate iure optimo interpretationem mythicam retinuit, neque minus recte Icarii hospitium potissimum quadrare contendit (p. 206 sq.). Sed expressis verbis confitetur hanc fabulam ad omnia illa anaglypha explicanda non sufficere. Lege verba praeclarissima: '*Nach dem glauben der Hellenen, welche sich mit den göttern in steter persönlicher berührung wussten, und nicht zweifelten, dass die götter den menschen fortwährend mit ihren segnungen und gaben erschienen, waren die mythen der beweis und beleg für die gewissheit der erfahrung des einzelnen, und dichter wie künstler wählten daher den mythos, als den edleren und höheren ausdruck für das gefühl und glauben des individuums. Wer sich von Dionysos reich gesegnet und begnadigt wusste, bei dem war er eingekehrt, wie einst beim Ikarios, und diese vorstellung war den Hellenen nicht blos ein poetisches bild, sondern sie hatte für ihn volle realität. Namentlich, wenn er den göttern seinen dank aussprach, scheute sich der Hellene seine persönliche individualität ihnen gegenüber hervortreten zu lassen, sondern er zog es vor, durch den allgemein gültigen mythos sein gefühl auszudrücken, weshalb bei der überwiegenden mehrzahl von weihgeschenken die individuellen verhältnisse des weihenden kaum in nebendingen angedeutet sind. Und diesen ist wohl anch unsere vorstellung beizuzählen; die marmorplatten, auf welchen sie sich meistens findet, werden am natürlichsten für votivtafeln gehalten. So drücken sie also den dank eines von Dionysos begnadigten unter dem bilde des Ikarios aus. — Uebrigens will ich nicht behaupten, dass die reliefs, welche wir besitzen, wirkliche votivtafeln sind. Sie können vielmehr solchen nur nachgebildet und als verzierung gebraucht sein. Wenn man gewohnt war, Dionysische heiligthümer mit diesen und ähnlichen vorstellungen geschmückt zu sehen, so lag es nahe, sie in späteren zeiten auf localitäten, welche dem Dionysos geweiht waren, auch ohne eine nähere veranlassung zu übertragen*'.

Vno anno postquam Iahn disputationem suam scripserat, Goettling edidit libellum, qui inscribitur 'Explicatio anaglyphi Parisini'. Ienae 1848 [1]). Putat anaglypha exhibere Sophoclem excipientem Aesculapium (v. supr. p. 33 sqq.). Nihil novi attulerunt Panofka (*arch. ztg.* 1852, p. 226), Wieseler (*D. A. K.* II, ad n. 624). Friederichs (*bausteine*, n. 780) et Matz (*ann. d. Inst.* 1870, p. 101 not. 3) cum Iahnio faciunt. Rectam anaglyphorum nominationem tandem invenit Fröhner (*Notice de la sculpture ant. du mus. imp. du Louvre*, I. Par. 1870, p. 227 sqq.), qui duo illa, quae in exordio disputationis nostrae examinavimus (p. 5 sqq.) monumenta lectisterniorum editurus (*deux peint. de vases*, Par. 1871) unus Theoxeniorum memor erat. Sed quia parum diligenter accurateque disputat, alia non inepta alia falsa profert. Videbimus enim v. d. proxime accessisse ad veritatem his dictis: '*A mon avis, il s'agit tout simplement d'une Theoxenie, repas auquel on conviait certaines divinités qui étaient censées se rendre en personne à la fête*'. Verum, cum ne ille quidem ana-

1) Hoc scriptum, quod nec in publicis quas adii bibliothecis nec in thesauris bibliopolarum exstat, non novi nisi ex Starkii verbis, *arch. ztg.* 1851, p. 318.

glyphorum rationem naturamque penitus perspexisse videatur, suo iure Kekulé (*ak. kunstmus.* 1872. p. 427): '*Eine befriedigende deutung ist noch nicht gefunden*'.

Otto Iahn scite intellexit anaglypha nostra originem trahere ex imaginibus tabularum votivarum. Quae res iam non posita est in coniectura, sed monumento quodam egregie probatur. Etenim ante paucos menses vv. dd., qui thesauris musei Parisini praesunt, anaglyphum marmoreum comparaverunt Athenis optima aetate exsculptum (cf. *rev. arch.* 1881, II, p. 115), quod quasi archetypum sive potius unum ex archetypis esse mox videbis.

A [1]). Tabula bene conservata est; super figuras particulae tantum marmoris defractae sunt, figurae ipsae pauculis laesionibus exceptis sunt incolumes. — In dextra imaginis parte vir in lecto cubat sinistrorsum, ut par est [2]), conversus; indutus est chitone; inferiores corporis partes himatio teguntur; caput hedera redimitum est. Ex oris, cuius barba abrasa est, lineamentis perspicue apparet artificem certum quendam virum provectioris aetatis voluisse fingere. Dextrum brachium tollit tamquam salutans, laevam pulvino imponit. Laeva manu tenet pomum, quod sumpsisse videtur de mensa fructibus placentisque onusta, quam ad lectum adpositam videmus. Iuxta mensam anguis se erigit esurus de illo pomo. Ad summum lectum adstat puer nudus, qui ex οἰνοχόῃ alte sublata vinum in pateram fundit. Prope eum vestigia crateris conspicua sunt. In lecti inferiore parte sedet femina seminuda; laevam manum toro imponit, dextram dextrorsum tollit; vultum autem sinistrorsum convertit. Ab hac enim parte lente accedit Bacchus Satyrisco innixus. Caput dei imberbe et cincinnatum ut vinolenti paulo inclinatum est. Vestitus est brevi chitone, cui superiniecta est pellis pantheris, et caligis, quae crura tegunt. Laeva manu

---

1) Hoc loco liceat gratias referre Graefio, semin. Berol. sod., qui, cum Parisiis moraretur, anaglyphi imaginem mihi adumbravit. Gypso expressum nunc exstat anaglyphum in museo Berolinensi. Ad quod facta est tabula nostra.

2) Constat enim veteres laevis brachiis in pulvinos innixos accubuisse.

tenet thyrsum taenia ornatum. — Totum opus non mediocri praestantia est. Nec vereor, ne a veritate non aberremus, si statuimus artificem anaglyphi a Praxitele esse profectum.

Interpretatio mythica hic aperte nullum locum habet. Namque, ut primo obtutu elucet, quantae sint similitudines huius anaglyphi cum 'necrodipnis', ita ne dubitari quidem potest, quin hoc sit anaglyphum sepulcrale sive rectius tabula votiva homini consecrato dedicata. Huc enim illum anguem spectare certum est. Scio equidem anguem non fuisse merum symbolum consecrationis. Sed cum angues in angulis reconditioribus templorum (cf. e. g. Ar. Plut. v. 733) et sepulcrorum (cf. Gerhard *auserl. vasenb.* III, tab. 192; 199. *Trinksch. u. gef.* II, tab. 16) versarentur, unde prorepebant, ut sacris deis vel heroibus oblatis vescerentur, iam vetustioribus temporibus tales angues vel pro Geniis vel pro ipsis numinibus habebantur. Itaque evenit, ut in monumentis sepulcralibus et votivis tam saepe angues appareant esuri sacras dapes vel poma, quae ab hominibus adorantibus aut ab ipsis deis heroibusve eis offeruntur [1]).

Vir igitur consecratus cum uxore repraesentatus est Bacchum hospitio excipiens. Inde colligi potest homines post mortem eius fabulatos esse de tali hospitio divino. Qua re efficitur, ut adnumerandus sit illis heroibus, de quibus supra disputavimus. Praeclaris fuerit virtutibus et sanctitate, dum viveret, necesse est, ac fieri potest, ut sacerdotio Bacchi functus sit. Quare ne ea quidem suspicio absona videbitur gentem huius herois Bacchum habuisse θεὸν πατρῷον, cui xenia pro sacris gentiliciis celebrarentur.

---

1) Cf. schol. ad Ar. Plut. l. c. κοινῶς μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο, ἐξαιρέτως δὲ τῷ Ἀσκληπιῷ. Adde Plut. Cleom. extr. οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν. — Velim in memoriam revoces anaglypha illa Spartana heroibus dicata (Dressel et Milchhoefer *Mitth. d. ath. inst.* II, tab. 20 et 21; cf. p. 461 sqq.) et anaglypha equites exhibentia. Adferam pauca exempla graviora: *Mon. e. ann. d. Inst.* 1854, tab. X (= Dütschke *ant. bildw.* III, n. 418); Heuzey *Mont d'Olympe et l'Acarnanie*, p. 415 tab. XI; id. *Mission arch. en Macéd.* p. 326, n. 131. Pervanoglu *grabst.* p. 82, 1. In mus. Berol. nrr. 441 et 441 A.

Quomodo imago anaglyphi nostri orta sit, in propatulo est. Dextra enim pars tam accurate ad exemplum necrodiporum composita est, ut dubium esse nequit, quin hanc repraesentationem usitatissimam adierint artifices, quibus propositum erat, hospitium Bacchi effingere. Atque Bacchi figura addita motibusque viri et feminae apte mutatis novum opus ac novum exemplum procreaverunt, in quo quantus fuerit vigor, legio illa operum anaglyphorum demonstrat, quibus exsculpendis imitatores posterioris aetatis operam navaverunt.

Probe tenendum est anaglyphum Parisinum specimen tantum esse anaglyphorum similium, quae sive deperdita sunt sive terra obruta olim fortasse in lucem prodibunt. Namque id reputemus necesse est ad recte intellegendum id monumentum, quod nunc sequitur.

B. In mus. Brit. Tabula ex argilla facta. Alt. 0,433. Lat. 0,40. Ellis *Townley Gallery*, I, *room* I, nr. 47. *Description of the collect. of ancient terracottas in the brit. mus.* Lond. 1810. Tab. XXV, n. 47. Cavaceppi *raccolta* III, 45. Creuzer *symbolik*, 53, 1. O. Iahn *arch. beitr.* p. 198, I. — Anaglyphum super et infra figuras ornatum est marginibus cymatiis Ionicis formatis. Duo viri imberbes in lecto, ad quem apposita mensa, cubant; adsidet femina capite velato. Baccho barbato amplisque vestimentis induto famulantur duo Satyrisci, quorum alter deum excalceat. Post lectum parapetasma suspensum est.

Deprehenduntur hic aliquot vestigia notabilia archetypi, quod, ut scimus, monumentum sepulcrale fuit. Primum enim femina sedet, non, ut in imaginibus, quae infra secuntur, in lecto reclinata est; ac, quod caput habeat velatum, aptissime ex lugentis habitu explicabis. Deinde duo viri communiter lecto usi saepius in necrodipnis quoque reperiuntur; nimirum duo propinqui, qui mortem obierant, hoc modo uno monumento honorabantur [1]). Denique anaglypho nostro parapetasma

1) Cf. supra p. 33 sqq. not. 1. — Exstant haec illius generis necrodipna: Pervanoglu *familienmahl*, nrr. 1; 76; 131; 145; 181; 188. — Heydemann *ant. bildw. in Ath.* n. 96. — Stark *städteleben*, p. 582

illud commune est cum nonnullis necrodipnis [1]), quamquam concedendum est idem saepius occurrere in aliis monumentis posterioris aetatis.

Hoc anaglyphum parieti alicuius sacelli heroum infixum fuisse ex materia et forma eius verisimile fit, eodemque modo anaglyphum Parisinum usurpatum esse ideo putaverim, quia non, ut pleraeque tabulae votivae, supra et ab utroque latere terminatur epistylio et pilis.

Iam transeundum est ad provectiorem et tamquam absolutam formam repraesentationis. Quam permulta anaglypha marmorea exhibent et quidem omnia eodem modo, unde efficitur cum valde populares fuisse eas tabulas tum artifices non fuisse eadem vi ingenii qua veteris artis opera excellunt.

C. Parisiis. Marm. pent. Alt. 0,80. Lat. 1,36. Fröhner *notice*, n. 204. Clarac tab. 133 n. 111. Explicc. coll. Fröhner. — Bacchus duoque Satyrisci ministrantes eodem habitu expressi sunt atque in B; sed hic addita est pompa bacchica: Satyri Silenus Baccha vinolenta. Bacchum salutat vir imberbis in lecto cubans; in eodem lecto accumbit femina. Iuxta mensam scabellum personis et voluminibus instructum positum est. In extrema imaginis parte vides columnam, in qua collocata est herma, cuius caput calatho opertum est. Ante hanc columnam περιῤῥαντήριον in alta basi positum conspicitur. Pila denique, cui tabula votiva infixa est, ad summum lectum prope Bacchum videmus. — Post murum, ad quem parapetasma illud adfixum est, conspicua sunt duo aedificia, ut videtur, templa.

= Biagi mon. gr. et lat. p. 97. Welcker *alt. denkm.* II, p. 254 n. 41. — — Ellis *Town. Gall.* II, p. 167. — Fröhner *inscr. d. Louvre* n. 211 cum titulo: Κ[ορνηλία] Πρόκλα Τιβερίῳ Νεπτολέμῳ τῷ ἀνδρὶ καὶ Λέοντι τῷ ὑῷ ἑαυτῇ ζώσῃ, μνήμης χάριν. — Ibid. n. 158 = Clarac tab. 155, n. 290. — Ibid. n. 185 = Clarac tab. 159, n. 288. — Heydemann *ant. bildw. in Oberit.* p. 37 n. 18. — *Jahrb. d. ver. d. alterthumsfr. im Rheinl.* XXXVI, p. 106. — In mus. Berol. n. 476. — Cf. etiam Fröhnerum l. c. n. 148 = Clarac tab. 161 A, n. 410 A.

1) Exempla sunt: Pervanoglu *familienmahl*, n. 169 = Gerhard *ant. bildw.* tab. 315, 4. Welcker *alt. denkm.* II, p. 275, 1. tab XIII, 25, in quo explicando vv. dd. illud parapetasma mirabili modo interpretati sunt. Pervanoglu ib. n. 187; 80. 181. — In museo Berol. n. 445.

D. Neapoli. Cod. Pigh. fol. 322. Fulv. Vrsini append. ad Ciaccon. de tricliniis. Romae 1588. p. 367. Zoega *abh.* p. 367 sq. Gerhard *Neapels ant. bildw.* p. 153 sqq. n. 515. O. Iahn *arch. beitr.* p. 198 D. — Imago nihil differt a C, nisi quod aedificia, quae post figuras conspicua sunt, partim sertis redimita sunt partim redimiuntur a Satyro, qui in muro ad palmam stans conspicitur. Prope palmam pila, cuius superiori parti infixa est tabula votiva.

E. In mus. Brit. Alt. 0,915. Lat. 1,50. Admiranda 43 (71). Montfaucon *ant. expl.* II, 1, 89. *Mus. PCl.* II, tab. B, 6. Combe *anc. marbles* II, tab. 4. *D. A. K.* II, tab. 50, 664. Ellis *Townl. Gall.* II, p. 141. — Imago eadem est atque D, sed femina deest. Super aedificia conspicua est platanus.

Praeterea exstant nonnulla fragmenta, quae tabularum simillimarum ac C D E reliquiae sunt:

F. G. In Anglia (in '*Windsor Castle*') Michaele teste (*arch. ztg.* 1874, p. 66 sq.) adservantur quaedam volumina olim ex Italia reportata, quae delineationes multorum monumentorum antiquorum continent. In quibus etiam duo fragmenta anaglyphorum delineata repperit Michaelis: in vol. V, fol. 11: '*linke untere ecke eines Ikariosreliefs*', in vol. VII, fol. 33: '*rechte untere ecke eines Ikariosreliefs*'.

H. I. In museo Berolinensi nrr. 434 et 250. Gerhard *Berl. ant. bildw.* — Nr. 434 praeter Bacchi figuram aedificiorum particulas ostendit. In n. 250 eaedem personae atque in G. conspiciuntur. Bötticher (*erklär. verz.* n. 1157) existimavit utrumque fragmentum (H et I) ad idem anaglyphum referendum esse. Quod fieri non potest, quia H aliam manum prodit atque I.

K. Catanae. Houel *voy. pittoresque des Isles de Sicile et de Lipari*, Par. 1784 tab. CXXXVII. — Quattuor extremae pompae figurae servatae sunt.

Minore modulo, quam quo artifices anaglyphorum C—K usi sunt, exsculptum est anaglyphum

L. Madridiae. Hübner *die ant. bildw. in Madr.* n. 556: '*Kleine wiederholung der bekannten vorstellung des besuches des bärtigen Dionysos bei Ikarios*'.

Denique exstant pauca monumenta, quae idem exemplum secuntur; sed quia illa aedificia aliaeque res minoris momenti omissa sunt, apertum est nos hic iam in arte prorsus in sterilitatem delabente versari.

M. Romae, in Vaticano. Ara sive basis quaedam. *Mus. PCl.* IV, tab. 25. Zoega *abh.* p. 79, tab. III, 7. Millin *G. M.* LXIII, 263. O. Iahn l. c. p. 198 A. — A dextra parte Priapi simulacrum repraesentatum est.

N. Anaglyphum. Spon *miscellan.* p. 310. Montfaucon *ant. expl.* II, 1, 88. O. Iahn, l. c. E. — Imago tot figuris insolitis et plane mirabilibus repleta est, ut adstipulandum videatur Iahnio, qui putat delineationem esse interpolatam.

O. Romae, in villa Pamfili. Anaglyphum. Zoega *abh.* p. 368. Gerhard *beschr. Roms*, III, 3, p. 63 a. O. Iahn l. c. F.

P. Parisiis. Tabula ex argilla facta. *Campana ant. opere in plastica* tabb. XXIX, XXX. O. Iahn l. c. H.

O et P non paucis inter se continentur similitudinibus. Sed miro modo artifices specimina perfectiora compilaverunt ad has imagines componendas. Magis mirum, quod quidam homines aegritudinis habitum aperte ostendunt. Tamen, quia ipse haec anaglypha non vidi, nihil certi de eis proferre audeo.

Iam inspiciamus totam hanc, ut ita dicam, prolem degeneratam nobiliorum maiorum. Qua in re non est obliviscendum haec monumenta non esse tabulas votivas; anagl. M enim, ut meministi, in fronte arae exsculptum est. Neque late patet de ceteris (G—L) quaestio. Apparet enim haec anaglypha inter ea esse, quae magis ad pingendi quam sculpendi normas efficta sint. De quibus nuper Schreiber disputans (*arch. ztg.* 1880, p. 145 sqq.) docuit talia anaglypha in mediis conclavium parietibus infixa fuisse, ubi, praesertim si coloribus essent distincta, prorsus speciem pictarum tabularum offerrent [1]). Neque dubium esse potest, quin etiam nostra anaglypha olim variis coloribus picta fuerint. Id probant illae tabulae votivae pilis impositae, quarum in D. et E binae exsculptae sunt. E quibus alterae monstrant virum bigam regentem,

---

1) Nemo non recordatur anaglypha simillima, in quibus Apollo Latona Diana exhibiti sunt. Quae interdum comparia nostrarum imaginum fuisse ego putaverim. Cf. Schreiberum l. c. p. 149 sqq.

alterae nunc nullis imaginibus distinctae sunt, olim autem haud dubie picturis ornatae erant.

Quod attinet ad aetatem, qua anaglypha, de quibus agimus, facta sint, M certo Romano artifici attribuendum est, contra C D E fragmentaque Berolinensia potius inferioribus artis Graecae temporibus orta esse censeo.

Porro quaerendum est, quid sibi velit argumentum huius anaglyphorum classis, aut, si mavis, quid in mente habuerit artifex, qui hanc novam repraesentationis formam condiderit; nam totam classem ab uno exemplo pendere non est quod demonstrem. Denuo igitur contueamur anaglyphorum repraesentationem. Tota imago longo muro in duas partes divisa est: post murum templum conspicitur, ante murum velo suspenso conclave indicatur. Dies festus agitur. Etenim dum foris templum sertis redimitur, domi herus cum meretrice[1]) in lecto cubans epulo ac potione delectatur. Ac cum Bacchum videamus introeuntem, manifestum est, deum a viro ad epulum invitatum esse, unde sequitur festum, quod celebratur, inter xenia numerandum esse.

Sed quis est ille vir qui Bacchum excipit? De mortuo consecrato cogitari nequit; nam quoniam eae tabulae ad usum profanum pertinuerint, argumentum quoque pristina sanctitate careat necesse est. Vivus igitur homo artificem quendam iussit ad exemplum talium tabularum votivarum, qualia duo specimina (A et B) servata sunt, anaglyphum exsculpere, quo conclave suum exornaret. Atque aliter fieri non potest, quin ille vir Bacchum xeniis colere consueverit. Adstipulemur igitur Fröhneri sententiae virum et feminam esse sacerdotes Bacchi? Minime vero. Quam maxime abhorret a sacerdotis dignitate hic homo, qui festum dei minus solemniter quam luxuriose libidinoseque acturus est. Veri autem simillimum est eum histrionem fuisse, neque enim sine consilio artifex scabellum illud quattuor personis voluminibusque instructum prope lectum exsculpsit, et histriones imprimis Bacchum coluisse satis notum est.

1) Quoniam femina in lecto accumbit, de uxore non potest cogitari.

Vita.

Natus sum Fridericus Matthias Deneken Haderslebiae Idibus Martiis a. h. s. LVII patre Friderico matre Catharina e gente Iepsen. Fidei addictus sum evangelicae. Artibus liberalibus cum in gymnasio Haderslebiensi, quod etiamnunc sub auspiciis Iesseni, viri humanissimi praeceptoris praestantissimi, floret, eruditus essem, anno h. s. LXXVI maturitatis testimonio instructus Berolinum me contuli. Postquam hanc almam Musarum sedem per quinquies sex menses adii, Bonnam commigravi, unde tribus semestribus exactis Berolinum reverti. Docuerunt me viri doctissimi Curtius Io. Droysen Furtwängler Grimm Harms † Henning Hübner Iordan Kirchhoff Lepsius Mommsen Müllenhoff Robert Scherer Schmidt Vahlen Wattenbach Weber Berolinenses, Aufrecht Buecheler Kekulé (Leo) Schaefer Vsener Wilmanns Bonnenses. Vt in seminarium philologicum Bonnense reciperer, Buecheleri et Vseneri benevolentia factum est. Exercitationibus archaeologicis me admiserunt Curtius Furtwängler Kekulé Robert, epigraphicis Buecheler, theodiscis Henning Müllenhoff Wilmanns, sanscriticis Aufrecht. Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam. Imprimis autem Curtius et Robert Berolinenses, Buecheler Kekulé Vsener Bonnenses, qua erga me fuerunt benevolentia singulari, in perpetuum me sibi devinxerunt.

Sententiae controversae.

I.

Menaechmorum Plauti locos, qui additamentis diasceuastarum graviter turbati sint, propono hosce: vv. 87—93 Br; 210—213; 431 sqq. (cf. v. 386); 533—536 (expunge vv. 533, 535, 536); 603—656; 729—752; 786 sq. 1048 sq. et 1060 sq. (quattuor hi versus diasceuastis debentur).

II.

Eiusdem fabulae verba v. 186:

'Idem istuc aliis adscriptivis fieri ad legionem solet', Peniculi esse cum Brixio arbitror; sed parasitus hoc versu spectatores adloquitur (cf. vv. 195 sq.), non meretricem.

III.

Nec Michaelis (*gr. bilderchron.* p. 112. cf. p. 95 sq.) nec Lehrs (*litt. centralbl.* 1874, p. 668), cui adstipulatur Kinkel (ep. gr. fragm. p. 50), recte iudicaverunt de extrema Ilii Persidis epitomae parte, qualis legitur in foll. VI. et IV. cod. Marc. 454. Mea sententia verba: καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου. Ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες — gravissimis corruptelis laborant.

IV.

Eur. Alc. v. 95 ita legendus est:

τί σε θαρσύνει; πόθεν; οὐκ αὐχῶ.

V.

Picturas, quibus Polygnotus λέσχην Delphorum exornavit, vasculorum pictores non imitati sunt.

VI.

Crateris Agrigentini: *Mon. d. Inst.* I, tab. 52 et 53, Duc de Luynes *descr. d. qu. vases peints*, tab. 21 et 22, Welcker *alte denkm.* III, tab. 25, utraque imago explicatur eis, quae apud Hyginum astron. II, 5 leguntur. In anteriore enim vasis parte

conspicitur Theseus ad Neptunum patrem accedens atque a Thetide coronam accepturus; in posteriore parte eandem coronam Thetis manibus tenet donum nuptiale datam a Venere, cui ipsi Nereis a laeva stans pateram vini plenam offert. — Eiusdem artificis, qui cratera pinxit, manus deprehenditur in imagine hydriae: *Nouv. ann. Monum.* I, 9, Inghirami *v. f.* IV, tab. 384, Duc de Luynes *descr.* tab. 28, *D. A. K.* II, tab. 34, 399.

VII.

In vasculo, quod Heydemann *mitth. a. d. antikensamml. in Ober- u. Mittelitalien* tab. II, 3a et b edidit, φαλλαγώγια repraesentata sunt.

VIII.

Imago anaglyphi a Schoenio *griech. reliefs,* tab. XIV n. 66 editi ad cultum mortuorum referenda est.

IX.

Fragmentum anaglyphi marmorei Veronae servatum: Giov. Orti di Marmara *gli. ant. mon. de' conti Giusti* tab. III, Heydemann *Iliupersis* tab. III, 3 antiquum non est.